

Victoria
Auxilium meum a Domino!
ps. 120.
J. de Leyser Sc.

INTERESSE
CÆSAREUM

AD

SUA FUNDAMENTA ET ADIUMENTA
REDUCTUM,
IN
RATIONE ET ÆQUITATE
FUNDATUM,
PER
AUTHORITATEM JURIS PUBLICI
DECLARATUM,
EX
DECISIONIBUS FAVORABILIBUS
CONCINNATUM,
Ac denique
SENTENTIIS ET HISTORICIS SELECTIS
ILLUSTRATUM,

AUTHORE

JOANNE ADAMO
WEBER,

Canonic. Regul. S. Augustini in Collegio Högelwerthensi Præposito, SS. Theol. & SS. Canonum Doctore, Sac. Cæs. Majest. Consiliario.

Cum Permissu Superiorum, & Privilegio Sac. Cæsar. Majest.

SALISBURGI,
Typis & Expensis JOANNIS BAPTISTÆ MAYR,
Typographi Aulico-Academici.

JOSEPHO I.

ROMANORUM,

ET HUNGARIÆ,

DALMATIÆ, CROATIÆ,

ET SCLAVONIÆ

REGI, REGI

SEMPER AUGUSTO,

ARCHIDUCI

AUSTRIÆ,

&c. &c. &c.

FELICITATEM!

AUGUSTE
REX.

AD thronum Auguſtæ Clementiæ Tuæ hoc INTERESSE CÆSAREUM venerabundo genu depono REX AUGUSTE; nam, cui meliùs Imperiali annexa Coronæ, & Sereniſſimæ Domui Auſtriacæ debita jura devoveam, quàm REGI ROMANO, REGI AUSTRIACO, vaſtam

vastam jurium molem non tam introeunti, quàm olim fortunatissimo imperio (brevem hìc inspicis epitomen) defensuro. Domestica Tibi quoque jura fecisti, quando jam dudum in Serenissimum symbolum *Gladium* & *Oleam* prudentissimè delegisti. Illum, ut pertinaces legum eversores elideres; hanc, ut pia populorum merita coronares; his omnem juris absolvens regulam: *Unicuique suum tribuendo*. Ipsa denique regnorum fulcimentum Justitia, Tua esse singularissimè gestit, ne singularis sit, in quem jam antea Virtutes cœteræ singularia omnia deposuêre ornamenta. Enimverò quid illa vultûs Majestas, oris affabilitas, subjecti populi amor, cordis alacritas? Tibi Majorum Tuorum decora inesse fatentur. Quæcunq; in alijs (reliquum est sinceri orbis de Te judicium) Principium animis

mis

mis laudatissima sunt, ita virtute misces, ut illæ ipsæ, quas dissimilitudo dissociat, Te reconciliatore consentiant, nec jam Comitas Gravitatem obscuret, nec Timor Amorem offendat, nec Clementia Romphæam hebetet, nec Modestia Magnanimitatem excludat. Quæ omnia magnam Universo litem fecêre; plura, an majora essent, quæ nascendi conditio prodigè sanè contulit, an quæ in Te Virtus (non plebeja illa, sed principalis & regia) pari operæ pretio ad sæculorum invidiam elaboravit; quando plùs præstas animis, quàm annis; & virile robur, quod alij lapsu temporum, Tu proventu virtutum doces definiendum. Quòd si etiam haud difficile est, ex præclaris initijs impetum sumere ad majora, ac felici continuatione humanas metas exire, sæcularem profectò ætatem pari Virtutibus Tuis

ex-

expectatione ingressus jam es. Neque mirum: Ipse Augustissimus, qui in TE traduce vigore dimanavit, sanguis hanc naturæ imposuit necessitatem, ut Patri similem non efformaret, nisi Paternis dotibus condecoraret. Audîsti orbis de TE judicium. Taceo ego reliquas MAIESTATI TUÆ Virtutes pedissequas, quas olim vasta maria ex fama intelligent felicissima. Unum affuso poplite deprecor; plenum Clementiæ, ocellæ huic tenui, vultum indulge. Fortunata erit illa, dum à TE conspicietur; Fortunatus ego, dum Tuis sub auspicijs, quod unum ad felicitatem meam ambio, nomen assequar, quod sim

SAC. REG. MAJESTATIS TUÆ

Æternùm devotissimus ac humillimus

Joannes Bapt. Mayr, Aulico-Academicus Typographus & Bibliopola Salisburgensis.

APPROBATIO
Archiepiſcopalis Conſiſtorij Salisburgenſis.

DE mandato Reverendiſſimi Officij perlegi hoc *Intereſſe Cæſareum*, & nullibi ab orthodoxa fide, boníſve moribus *abeſſe* deprehendi, ac proinde in publicum prodire, doctóq; Authoris *CAPITI novum* apud eruditum orbem laudis *Intereſſe* fænerari poſſe cenſeo.

Salisburgi, 15. *Iunij* 1685.

Joan. Baptiſta Preſchern,
SS. Theol. Doct. Eminentiſſ. Celſiſſ. & Reverendiſſ. S.R.E. Card. atque Principis Archiep. Salisb. &c. Conſiliarius actualis, & Bibliothecarius, B.M.V. ad Nives Can.

PRÆFATIO.

INTERESSE CÆSAREUM *fundamentaliter, principaliter & fontaliter consistit in præclarissimis Prærogativis & Immunitatibus, aliisque Gratiosis Juribus, quibus Cæsarea Majestas inter alios Principes, veluti Sol inter minora sidera, coruscat. Tametsi enim nonnulla ex Privilegiis Cæsareis aliis Inferioribus Dynastis ac Regulis participatione quâdam communia sint; Complura tamen Cæsari tanquam Supremo Principi ita propria sunt, ut aliis Minoribus competere non possint: eámque ob causam* Reservata *vocan-*

vocantur & Regalia. Ac licet hujusmodi Jura viginti & unum recenseantur, in usibus Feud. lib. 2. t. 56. *plura tamen sunt opinione Cujacij. Imò Castaldus* in Tract. de Imp. quæst. 110. *trecenta & triginta*: *Petra verò* in Tractat. de Jur. quæst. non toll. c. 21. *ultra quadringenta constituit. Horum Jurium definitionem hanc tradunt Juris publici Professores :* Sunt summa **Jura Imperio summo adjuncta, & ex eo immediatè profluentia , quorum** vigore Princeps summus facit, præcipit, vel permittit aliquid, quod ad Imperij seu Principatûs necessitatem, vel utilitatem, vel dignitatem, decúsque tuendum pertinet. *Dividuntur Jura Regalia in Majora & Minora. Majora sunt, in quibus suprema potestas & dignitas Principis elucescit,*

quæ-

quæque illius ossibus quadammodò adhærent, & Jura Majestatis dicuntur: Cujusmodi est Jus primarium precum, jus condendi Leges universales, jus Academias erigendi &c. Minora utilitati deservientia ad Fiscum pertinent. Hæc præmittenda duximus: Plura ex Elencho mox subsequenti deprehendentur.

ELEN-

ELENCHUS
Omnium Capitum, quæ in hoc Libro dilucidantur.

TRACTATUS I.
Complectens Fundamenta Interesse Cæsarei, quæ principaliter in prærogativis, sive Juribus Gratiosis Augustissimo *Imperatori competentibus consistunt.*

XXVIII. De

TRACTATUS II.

Complectens Feuda Regalia, & reliqua Jura, quæ ad Interesse Cæsareum spectant.

TRA-

TRACTATUS I.

Complectens Fundamenta Interesse Cæsarei, quæ principaliter in prærogativis, sive Juribus Gratiosis Augustissimo Imperatori competentibus consistunt.

CAPUT I.

De Jure Electionis Cæsareæ.

Imperator Romano-Germanicus non fit per Successionem, sed per electionem. Nam via electionis est melior viâ Successionis; quia electio fatuos ac juvenes à gubernaculis Republicæ arcet, quos successio sæpius non sine summo Reipublicæ periculo obtrudit, quod satis supérque docent Historiæ Gallicanæ. Unde sapienter dixit olim Romanus quidam Senator: *Dij avertant Principes pueros, & Patres patriæ dici impuberes, & quibus ad subscribendum Magistri Literarij manus teneant.*

Annotatio I.

An eligendus in Imperatorem debeat esse Germanus, & in Germania natus?

Respondeo non esse eligendum in Imperatorem, qui non sit natione Germanus. Tum quia ita obtinuit consuetudo inveterata. Besoldus *de Success. & elect.* Tum quia ita ordinavit ac Lege sanxit Otto III. Imperator, teste Cuspiniano *in Otton. III.* Ceterum hic notandum est, quòd ad hoc ut aliquis censeatur Germanus, & ad electionem Imperij habilis, sufficiat eum à Patre Germano progenitum esse, neque requiratur necessariò, ut in Germania natus sit. Ita Fridericus II. Patriam habuit, non Germaniam, sed Siciliam, quia tamen Patrem habuit Germanum, scilicet Henricum VI. Imperatorem, ideò ad Thronum Imperialem evectus fuit. *Peucer. Lib. 5. Chronic. in vita Friderici II.*

Annotatio II.

Cujus Familiæ debeat esse Imperator?

℞. Eligendus in Imperatorem debet ex familiâ illustri esse progenitus. Porrò nomine Illustrium familiarum comprehenduntur etiam Baronum

ronum & Comitum eminentium Stemmata: ex quorum classe ad Imperium evectos legimus Wilhelmum, Rudolphum & Gunterum. *Buxtorff. disc. ad Auream Bullam Thesi* 31. *lit. A.*

ANNOTATIO III.

An Femina possit evehi ad Thronum Imperialem:

RESpondetur negativè: quia femina natura mutabilis, & ad regimen sive seculare sive Ecclesiasticum inhabilis, ab omni officio civili excluditur, tam per jus civile, *in L.* 2. *de. R. I. L.* 12. *ff. de judic. L.* 1. §. 5. *ff. de postul.* quàm divinum, 1. *ad Timoth.* 2. *& Gen.* 3. Ubi DEUS Sexui muliebri omne Imperium denegavit; in imperante enim requiritur prudentia, animi magnitudo, constantia in adversis, autoritas in arduis, patientia laboris & quæ sunt similes virtutes: hæ autem à Sexu muliebri plerumque exulant, *juxt. Accurs. in L. ex his de LL. Arist.* 1. *polit.*

ANNOTATIO IV.

An Filius Patrem, aut alium Consanguineum suum in imperatorem eligere possit?

℞. ID sæpius factum esse, ac proinde videri non illicitè fieri: usus enim pro lege est, *L.* 32. *de*

LL. Sic Elector Moguntinus Adolphum Nassovium elegit. Joannes IV. Rex Bohemiæ in electione suffragatus est Carolo IV. Hic proprio Filio suo Wenceslao. Sed & complures ex domo Austriaca fratribus ac filijs suis favorem & operam auxiliarem in Negotio Electionis præstiterunt.

Annotatio V.

An aliquis seipsum in Imperatorem eligere possit?

I. Fecit id Sigismundus Hungariæ Rex, qui cùm post Rupertum Bavarum ad electionem cum aliis vocatus, tanquam Marchio Brandeburgicus, respectu dignitatis Regiæ primus sententiam dicere rogatus esset, seipsum nominasse legitur: Me, inquiens, ego novi, alios non æquè, an meçum Imperio orbis digni sint. Quam vocem Electores communi calculo approbantes, Sigismundum Cæsarem salutarunt.

II. Fundatur hujus electionis valor in aurea Bulla *t.* 8. *§. fin.* ubi dicitur, quòd elector tria habens suffragia seipsum eligere, & votorum pluralitatem efficere possit: Quod Rupertum fecisse prodit Dan. Otto *de Jur. publ. c.* 10.

An-

ANNOTATIO VI.

An Elector aliquis votum per Literas transmittere possit?

RESpondendum Negativè, cùm nec Jure communi absentes de Capitulo per Literas votare possint, *c. si quis justo*, 46. §. *absens*, *de elect. in* 6. Et quamvis in electione Ludovici Bavari aliter factum sit, teste Cuspiniano *de divis. Imperij*, repugnat id tamen Juri Communi *d. c.* 4. cum quo concordat Aurea Bulla *cap.* 4. §. *Ceterum.*

ANNOTATIO VII.

An Imperator venustate Corporis præditus esse debeat?

℟. ID minimè necessarium esse, ut Magnorum Imperatorum ac Principum exempla testantur. Etenim Julius Cæsar glaber, seu calvus, nasum aquilinum, manum alteram breviorem, faciem rugosam habuit, & suppallidam, & incedebat semper discinctus. Annibal oculo dextero carebat, pede sinistro varus simul, & superciliosus, staturâ brevis, & vultu torvus. Alexander magnus collo exili, capite grandi, facie lurida, oculis subturbidis, corpore pusillo, & membris parum concinnis: Cræsus altero pede claudus, oculo alte-

ro ſtrabus, capite calvo, ſtaturâ adeo parvâ erat, ut à nano parum abeſſet, *Guevara in horol. lib.* 1. *c.* 44. *n.* 200. *p.* 200.

ANNOTATIO VIII.

An electio Imperatoris neceſſariò debeat celebrari Francofurti ad Mœnum?

OLim Locus electionis Cæſareæ erat arbitrarius: Sic Henricus II. Moguntiæ, Henricus V. Coloniæ, & alii alibi electi ſunt; hodie autem ex conſuetudine & lege confirmante locus determinatus eſt: vi cujus electio Cæſaris fieri debet Francofurti, & ſi alibi abſque cauſa juſta fieret, nulla eſſet.

ANNOTATIO IX.

An Capitulum Eccleſiæ Cathedralis v. g. Colonienſis, vel alterius, cujus Archiepiſcopus eſt Elector Imperij, Sede vacante admittatur ad electionem Imperatoris?

℞. CApitulum; quamvis ſede vacante omnimodam habeat jurisdictionem, *cap. un. de Major. & obed. in* 6. non tamen admitti ad Electionem Imperatoris. Tum quia hoc eſt privilegium ſpeciale, quod ſpeciali lege competit, nec in plures cadit. *Geil.* 1. *obſerv.* 30. 2. Tum quia electio

ctio competit Electoribus non quatenus Ecclesiasticis, sed quatenus Principibus Imperij, inter quos Capitulum numerari non potest. *Geil. d. obs. n.* 11.

ANNOTATIO X.

Infra quod tempus electio Imperatoris peragi debeat?

℞. AB Aurea Bulla præfinitos esse 30. dies à die præstiti juramenti, *c. 2. §. præstito.* Et si intra hoc tempus Electores electionem non perfecerint, decreta est illis manducatio panis & aquæ. Hermes *in Fasciculo Juris publici cap.* 7. Citans *cap. ubi periculum, De R. J. in* 6.

ANNOTATIO XI.

An Celebratio Missæ, in principio Electionis Cæsareæ peragenda, sit de essentia Electionis?

IN Aurea Bulla constitutum est, ut Francofurti in templo S. Bartholomæi ante electionem Imperatoris decantetur missa de Spiritu S. ad quam Electores coccineis induti togis vehi solent. Idem observandum, si alibi electio celebretur. Atque hanc missæ celebrationem esse de substantia electionis, ita ut missâ omissâ electio vitietur, sentit Marcus *decis.* 1250. AN-

ANNOTATIO XII.

An Imperium Romanum censeatur adhuc esse electivum, non obstante tot Principum ex Domo Austriaca oriundorum continuatâ successione?

RESpondetur affirmativè, cùm omnes illi Principes Austriaci Jure electionis, non successionis, Imperij gubernacula acceperint. Porro conveniens est illius familiæ, cui semel Imperij salus est concredita, maximam haberi rationem: cùm id ipsum etiam in Regno Poloniæ (quod est liberrimæ electionis) observatum fuisse, Jagellonica stirps testetur, quæ tanti æstimabatur, ut Stephanus Batori cum hac conditione Rex fuerit creatus, ut ex prædicta familia virginem, quamvis rugosam, sibi connubio jungeret.

ANNOTATIO XIII.

Ætas puerilis non est idonea Imperio, licet Historiæ testentur pueros quandóque in Reges ac Principes electos fuisse.

Alexander Severus, puer adhuc à Senatu Cæsar factus est. *Lampridius, & Volater. lib.* 23. *Antrop.*

Henricus VI. Imperator in Augustanis Comitijs, per amicos egit, ut omnes Principes Fridericum

cum filium quadrimum, ac penè in cunis vagientem regem assumerent, idque literis & juramento firmarent. *Cuspiniauus.*

Carolus IIX. Francorum Rex annum tertium decimum agens, regnum iniit. *Ritius lib. 3. Francorum Regum.*

Carolus IV. Imperator Wenceslaum filium vix sesquiennem, consensu Procerum ungendum & coronandum curavit in Regem Boëmiæ. *Dubravius lib, 22.*

Stephano Joannis Sepusij filio vagienti adhuc Corona Regni Hungarici imposita est.

Gustaphus Adolphus 9. Decembris Anno 1594. natus, Anno 1617. coronatus est Rex Sueciæ. *Klock. de Ærario Lib. 1. c. 9.*

ANNOTATIO XIV.

An Imperatore vivente, & ad regendum habili, sit eligendus Rex Romanorum?

REx Romanorum non est eligendus Imperatore invito, & ad regendum habili. Nam præmatura nimis est cogitatio de successione viventis. *L. 1. §. Si impuberi. de Collat. bon. l. 2. §. interdum. de vulgar. substitut.* Certè priscorum Cæsarum

tempore capitale fuit de futuris post mortem Imperatoris contingentibus disceptare. Quòd si tamen Imperator consentiat, ut ad evitanda pericula, quæ Interregna comitari solent, pro bono publico aliquis se vivente in Regem Romanorum eligatur, valida erit electio. Quòd enim vivente Cæsare alteri Imperium deferri nequeat, id in favorem Cæsaris constitutum est: potest autem is huic favori renunciare, *L. post mortem, C. de fidei-com. libert. L. eum qui. ff. de ann. leg.* Sicut eius favorem concernit, quòd solus regnare possit, & tamen Regni Collegam assumere potest ex Electorum consensu. Sic vivente Imperatore Justino Justinianus eius ex Sorore Nepos anno 572. electus, cum Justino Avunculo suo imperavit. Neque obstat, quòd talis electio Cæsare vivente inducere videatur votum captandæ mortis, adeóque contra bonos mores facta non subsistat, juxta *L. licet. L. pactum quod. & L fin. C. de pact. L. ex eo. C. de inutil. stipul.* Quia conventiones de successione viventis factæ sunt validæ, si factæ sint cum consensu eius, de cuius successione agitur. *d. l. fin. junct. c. 1. §. moribus.*

AN-

ANNOTATIO XV.

Memorabilis electio Ferdinandi in Regem Aragoniæ.

MEmorabilis illa electio, ſive judicium fuit (inquit Juſtus Lipſius) quo regnum Aragoniæ, avorum ævo ad Ferdinandum Henrici Caſtellæ Regis frarrem tranſivit. Obierat Martinus Rex, íſque ſine liberis: & inter agnatos vel cognatos variè certabatur. Jus, favor, factio comparabantur: & jam ad cœtus & arma res ſpectabat: Quippe inter potentes competitores, Ludovicum Andegavenſium Ducem, & Neapolitanum Regem, Jacobum Comitem Vigelitanum, Alphonſum Marchionem Villenæ, & Ducem Sandiæ noſtrúmque illum jam dictum. Sed viſum conſenſu proceribus (rarum in tali ambitu) judices ſive arbitros ſuper hac re legere, & quemcunque ij Regem dixiſſent, eſſe. Electi novem, ſanctimonia vitæ, & doctrina aut prudentia, conſpicui; terni ex ipſa Aragonia, totidem è Catalaunia, iterumque totidem è Valentia: quæ tria regna ſcilicet in unum corpus contributa. Dies igitur electioni, locus captus Araſpa in Aragonia. Magna exſpectatio, concurſus, aperta & occulta vota, aut metus: denique ipſo

jam die, tribunal præ foribus templi erectum, auleis instratũ, & regifico ornatu. Consederunt Judices, præsedit ijs (nam adesse voluit) summus ipse Pontifex, etsi in schismate, Benedictus: tum surrexit Vincentius Ferrerius Dominicani Ordinis magna sanctimoniæ opinione, & insigni ac fervidâ eloquentiâ, qui concione ad rem appositâ, proceres & populum consentire, obedire denique novo Regi hortatus est. Quis is erit? suspendit aliquamdiu omnium animos, & grandi tandem voce protulit Ferdinandum. Clamor coronæ, & jubilus, fausta precantium. Nam plurium in hunc & virtutes eius inclinatio: quorundam tamen & mœstitia, qui suos candidatos decidisse tanta spe indignabantur. At ipse coronam mox Regni solenni ritu accepit: pacem ubique reperit. Et magnum illum Alphonsum genuit Aragoniæ, Siciliæ, Neapolis Regem.

ANNOTATIO XVI.

De Ludovico Bavaro electionem sui in Imperatorem ob defectum potentiæ recusante.

CUm Ludovico Bavaro à nonnullis Imperium offerretur, ille actis gratijs respondit: Honorẽ hunc

hunc se non promereri, his verbis: Virtus, quam in me agnosco, sola ad Imperatorem Germanorum non sufficit, nisi digna potentia accedat: nam nec quies sine armis, nec arma sine stipendio haberi possunt, depressáque jacet sine viribus Majestas; permittamus ceteris populis ex virtute Regem sumere, qui cum purpurâ & solio vires omnes in electum conferunt Principem, qui non solùm mereatur amari, sed etiam ante fortunam timeri poterat: Ego cum ærario meo calculum posui, virium mearum infirmitatem mensus sum; ex totâ Bavariâ portionem tertiam vix possideo, in tantillâ Provinciâ Majestas se pro dignitate explicare non potest, opes hæ ad splendorem & donativa non sufficiunt &c. *Nicol. Burg. in hist. Bavar. lib.* 1. *pag.* 8. Cui eleganter responsum est: De infirmitate potentiæ frustrà queri, à quo scirent prælio victum Fridericum Austriacum, nec Henrico VII. nec alijs obfuisse, quò minùs Germaniam tenerent perculsam reverentiâ sui, cui tamen opulentiæ ipse non cederet, majorum imaginibus præstaret: satis validum esse, qui à suis timetur, potentium in obsequio parentium sitam: Cùm autem Ludovicus in priore suâ sententiâ præstaret,

ſtupentibus ad animi magnitudinem, tam pertinaciter faſtidientis Imperium, quod alij per ignes ferrúmque appeterent; donec Legatorum unus plura philoſophari volentem in iram verſus interpellavit, dicens: Scias imperaturum te; ſententiam priorem mutavit.

ANNOTATIO XVII.

Cur ad actum Electionis Cæſareæ Reges Bohemiæ aliquando non fuerint vocati.

TEſtatur Beſoldus *Lib.2. de ſucceſſ. Reg. diſſ.3. n.7.* hanc vocationem fuiſſe aliquando omiſſam; ſed id non factum, propterea quòd Rex Bohemiæ non eſſet Elector, ſed ob alias eáſque varias cauſas, quòd vel rebellis eſſet & refractarius Imperio, vel Schiſmaticus, vel non ſatis ei cum Imperatore & Ordinibus Imperij conveniret. Sic Wenceslaus Rex Bohemiæ & Ex-Imperator, nec ad Friderici Brunswigij menſe Majo, nec ad Ruperti Palatini menſe Septembri Anno 1400. nec ad Sigismundi fratris Hungariæ Regis Anno 1410. factam electionem vocatus eſt. Et mortuo Alberto, relictâ viduâ prægnante, cùm Bohemi Regem non haberent, Proceres Regni quòd eſſent Schiſmati-

ci,

ci, & Hussitæ, non fuerunt ad electionem Friderici III. citati; nec Georgius Hussita Ladislao posthumo surrogatus, ad ullum Conventum Electoralem admissus. Sic Uladislaus Polonus Hungariæ & Bohemiæ Rex non fuit citatus ad electionem Maximiliani I. Regis Romanorum, propterea quòd inter Fridericum III. Imperatorem, & dictum Regem discordia intercederet. Ita Goldastus *Lib.* 3. *c.* 5. *n.*4. & ex eo Hermes *in Fascic. Jur. publ.*

ANNOTATIO XVIII.

An in electione Regis Romanorum quæ fit Imperatore adhuc vivente, sufficiant majora, vel potiùs requiratur consensus omnium?

LIcet vacante Imperio ad electionem Romani Imperatoris majora vota sufficiant, c.3. §. *præstito*, & §. *postquam Aur. Bull.* si tamen vivente adhuc Imperatore electio facienda sit, Asterius *in Exam. Comit. Ratisb.* 1637. *pag.* 10. unanimem Electorũ consensum requirit, ex hac ratione differentiæ, quòd vacante Imperio simpliciter & absolutè necessaria sit electio, & surrogatio novi Capitis, spirante verò adhuc Imperatore, non tamen necessa-

cessarium, sed tantùm utile & commodum sit; Item priùs ordinarium, posterius extraordinarium sit remedium & insolitum: in actibus verò inconsuetis omnium consensu opus sit, *L. Sabinus* 28. *ff. Comm. divid.* Quam sententiam Asterius exemplis confirmat, inter quæ affert illud de Maximiliano I. qui Anno 1518. Carolum V. ex Philippo filio Nepotem Regem Romanorum efficere non potuit ob unius Friderici Saxoniæ Electoris contradictionem.

CAPUT II.

De Jure Capitulationis, quæ Imperatori ab Electoribus post electionem sub obligatione juramenti servanda proponitur.

1. IMperatori electo administratio Imperij nonnisi certis conditionibus concedi solet. In quem finem concipitur ab Electoribus Capitulatio, varijs constans Articulis & Capitibus, quorum observationem Imperator jureiurando promittere solet ac debet. Ita Limnæus *in Prolegom. ad Capitulat. sect.* 7.

2. Si in Capitulationibus Cæsareis aliquid adver-

versus Imperij Romani bonum & incolumitatem, vel ad Orthodoxæ Christi Ecclesiæ perniciem constitutum videretur, hoc Imperator observare non teneretur, quia neque Electores in confectione Capitulationum illud intendere, aut postulare, neque ipse Imperator admittere, sive juramento confirmare potuit aut debuit. Ita sentiunt communiter Juris publici Professores.

ANNOTATIO XIX.

De Controversia circa Capitulationem inter Imperatores Maximilianum & Ferdinandum II. ex una, & Status Acatholicos (præsertim Electorem Saxoniæ) ex altera parte ortâ, & variè agitatâ.

1. TOta hæc controversia concernebat obligationem Capitulationis: dubitabatur enim quousque se illa extenderet?

Status Heterodoxi Lipsiæ congregati, vim Capitulationis Cæsareæ magnopere exaggerabant & intendebant: existimantes Imperatorem adeo strictè ad servandas Capitulationes suas obligatum esse, ut ne quidem in casu necessitatis, ob moræ periculum, ab illis recedere liceret. Et ad hanc suam

opinionem comprobandam complures adducebant rationes.

2. Sed oppositam sententiam amplexus est Maximilianus Imperator in Comitijs Wormatiensibus Anno 1505. & Ferdinandus II. in Conventu Electorali Anno 1630. Ratisbonæ habito, & in eâ perstitit, ut mandatum eius sub dato Viennæ 14. Maij, Anno 1631. ad Status Evangelicos Lipsiæ congregatos testatur; quam Cæsaris opinionem fulciunt rationes undecim, quas affert Hermes *in Fasciculo Juris publici. cap. 9.*

CAPUT III.

De Iure Coronationis Cæsareæ.

1 ROmanum Imperium ex priscâ consuetudine Imperatori electo Romam ad Coronationem profecturo (vulgò zum Römerzug) XX. peditum, & IV. Equitum millia præstare tenebatur spatio 8. mensium. Reichs-Abschid *de Anno* 1521.

2. Veteres Imperatores Germani Romæ à Summo Pontifice Coronam auream accipiebant, postquam Aquisgrani ferream, & Mediolani argenteam accepissent. Vide Buxtorffium *in Comment. ad Auream Bullam Thesi* 46.

3. Du-

3. Dubitant quidam, an Imperatori ſit neceſſaria Coronatio Romana? Sententia affirmativa (quam Decianus *conſ.90.n.10. vol.2.* putat eſſe magis communem) fundatur *in cap. Venerabilem, extr. de Elect.*

3. Coronatio Imperatori non eſt abſolutè neceſſaria, ſed ſufficit electio, quæ idem tribuit Electo in Imperio, quod ſucceſſio Succeſſori in alijs Regnis, qui ad regnandum natus eſt. Hic verò, eveniente caſu ſucceſſionis, nomen & rem Regis uſurpat ante Coronationem: ergo etiam electus Rex Romanorum. Sunt enim coronationes tantùm ceremoniæ, & teſtimonia, quibus pateſit eos legitimè ſuccedere, & pro legitimis Regibus eſſe habendos. *Arum. diſc. 2. ad Aur. Bull.*

ANNOTATIO I.

Inſolita Coronatio Petri Regis Aragoniæ per coronam ex pane confectam.

PEtrus Aragonum Rex VII. Romam profectus, ab Innocentio III. Summo Pontifice coronatus eſt coronâ panis azymi, hoc eſt, ſine fermento confecti in Eccleſiâ ſancti Pancratij: qui etiam impetravit à Pontifice, ut quamvis ipſe Romæ coro-

ronatus esset, eius tamen successores in perpetuum Cæsaraugustæ coronarentur à Tarraconis Antistite. Marianus *lib.*10.*Rerum Hispan.*

Annotatio II.

An corona, quâ Imperator coronatur Aquisgrani, sit verè & reipsa ferrea?

MUlti id sibi persuadent (inter quos est Chassanæus *in Catalog. Glor. mundi part.*5. *Consider.* 27.) falluntur tamen, cùm ideo tantùm dicatur ferrea, quia laminam habet ferream in sublimitate: Ceterum nec ferrea est nec argentea, sed ex puro auro confecta; sic tamen, ut in ea veterum laudabilis parcitas satis appareat. *Freherus in notis ad Petrum de Andlo, c.*6.

Annotatio III.

De pretiosissimis Coronis diversorum Imperatorum ac Regum.

DE Rudolpho II. Imperatore traditur, quòd sibi confici curaverit coronam ex auro, pretiosissimis adamantibus Orientalibus ornatam, inter quas gemmas una eminet, uvæ Mosellanæ magnitudine, 30. millibus florenorum æstimata: tota autem corona pretium unius millionis aureorum adæquat. Co-

Corona Regis Galliæ Coronam Imperialem Rudolphi non modò pondere, sed & pretio longè superat, diciturque valere centies & undecies mille & octingentos ac quadraginta Coronatos. Et ne Rex in actibus inaugurationis pondere isto nimium gravetur, aliam quoque coronam ad manus habet Archiepiscopus, quæ remotâ alterâ Regio Capiti imponatur. *Limnæus ad Capit. Caroli V. a. 33. n. 61.*

Corona Imperatoris Turcarum æstimatur à nonnullis quinquies centenis ducatorum millibus, & Smaragdus ingens in ea actoginta millibus ducatorum.

CAPUT IV.

De Iure Excellentiæ Cæsareæ aliis Principibus incommunicabili.

1. TRia sunt, quæ me quidem Judice, Jus Excellentiæ Cæsareæ alijs Principibus incommunicabile constituunt.

2. Primum est, quòd ab Imperatore, tanquam à Fonte, omnis Jurisdictio politica Imperij Romano-Germanici derivetur. Hinc Carolus Tapia *in Rubric. de Constitut. Princip. c. 4.* ait: Imperator

est scaturigo, unde velut per rivulos & canales promanat quidquid est uspiam jurisdictionis. Et Jason *in l. qui Romæ §. Seia.* asserit Imperatorem quoad jurisdictionem esse instar Maris, quod fluminum concursu nec augeatur, nec minuatur: eò quòd omnia jura & regalia ex ipso fluant, & ad eundem refluant.

3. Alterum est, quòd soli Imperatori titulus Majestatis magis propriè conveniat: reliquos verò Reges ac Principes titulo **der Königlichen Würden** Serenitatis vel Celsitudinis veneremur. Unde cùm Legatus Regis Daniæ aliquando in Comitijs Imperij dixisset, se nomine Regiæ Majestatis (intelligendo Regem Daniæ) votum dare, correctus fuit à Directore, dicente, nullam in eo loco agnosci Majestatem, præter Cæsaream.

4. Tertium est, quòd Imperator ceteros omnes mundi Reges dignitate superet. Et hoc non solùm ex Romani Imperij dignitate sive Majestate, & antiquitate atque potentiâ, sed etiam tacito omnium Regum consensu evincitur.

5. Ad hanc Majestatis Cæsareæ excellentiam respiciens Baldus *consil.* 359. *lib.* 3. Imperatorem esse Dominum Orientis, Occidentis, Meridiei, & Septen-

ptentrionis. Præest enim universæ ditioni, quæ videt ascendentem & descendentem Solem, & quæ ex utroque latere est. Sed plerique Doctores ajunt Imperatorem esse Dominum mundi quoad superioritatem universalis Jurisdictionis & protectionis, non verò quoad dominium rerum particularium, earumque proprietatem.

ANNOTATIO I.

De Imperatore Turcarum excellentiam Cæsaream magni æstimante, eique favente.

IMperator Turcarum excellentiam Imperatoris nostri Occidentalis non ignorat, sed eam suis momentis æstimare novit, dum in literis ad eum datis hac scribendi formulâ utitur: *Jesu Nazareni, inter ceteros Principes Christianorum summo.* Et huius Majestatis præeminentiæque intuitu, missis ab Imperatore nostro ad Turcicam aulam Legatis primus inter Orbis universi Legatos locus attribuitur. Et hoc quoque ad majorem Legantis dignitatem ostendendam datur, ut Legati Cæsaris nostri sedendo, aliorum verò Regum & Principum Legati stando mandata sua coram Turca exponere soleant; quod aliquando Caroli V. Legatus veritus, ne suo Domino interverteretur, cùm ad

ad exponenda mandata, aliquamdiu ſtetiſſet, neque conſidere juſſus fuiſſet, pallio, quod habebat, ſtrato inſedit, & mandata ſui Principis intrepidè expoſuit, móxque conſurgens, pallium, quod ſubſtraverat, reliquit; interrogatus à Turcis, cur id faceret? Cæſaris Legatum ſellam ſibi portare non ſolere, falsè reſpondit. *Chriſtoph. Warſeuic. in Orat. de Legat.*

ANNOTATIO II.

Alphonſi Regis & Landgravij Haſſiæ de excellentia Majeſtatis Cæſareæ honorifica judicia & reſponſa.

1. ALphonſi Regis, ut modeſtiſſimum, ita juſtiſſimum reſponſum fuit, quo (ab aulicis ac ſenatoribus monitus, ne demiſſiùs, quam par eſſet, erga Fridericum I. Imperatorem ſe gereret) dixiſſe fertur: veſtrum non eſt judicare de Regibus; Nos Reges omnes debemus reverentiam Imperatori.

2. Granvellano apud Landgravium Haſſiæ in Colloquio Spirenſi intrepidè affirmanti, ex Imperio ne tantillum quidem emolumenti habere Cæſarem, bellè Reſpondit: Cæſari per Imperium authoritatem ſuper omnes Reges conciliari. *Sleidan. lib.*17.

CA-

ANNOTATIO III.

An Excellentiæ & Majestati Cæsareæ præjudicaretur, si Imperator Regem aliquem, v.g. Hispaniæ titulo Majestatis in literis compellaret?

RESpondetur negativè, quia Cæsar id poterat facere studio humilitatis, retinendo stylum pristinum, quo uti consueverat, dum tantùm esset Archidux Austriæ. Potest etiam tribui curialitati inter summos Principes usitatæ. Cujusmodi civilitas & modestia nec Imperatori præjudicare, nec Regi Hispaniarum plus juris tribuere potest, quàm ante habuerit. Neque enim verba curialia Majestatem Imperij mutant, aut alleviant: cùm verba honoris & ad complacentiam prolata nullam inducant obligationem, eò quòd sint actus honorationis & reverentiæ privatim delati, qui publico Juri nil tribuunt, nec adimunt. *Victor. in Tract. de caus. exempt. in Imper. concl.* 37. *Goldastus in Bohemia lib.* 3. *cap.* 13. *n.*7.

CAPUT V.

De Iure Adorationis.

DE Jure adorationis quæ Majestati Imperiali debetur, fit mentio *in l.* 1. *C. de silentiariis lib.* 12.

D Ubi

Ubi Rebuffus ait: *Princeps adoratur, ceteri autem salutantur*. Probat idipsum Textus ille qui in dicta lege habetur: *Ut tam in adoranda nostra Serenitate*. Huc etiam facit *Text. in L. Si quis servum*, ubi dicitur: *Nostram Purpuram adorantes, C. qui militare non possunt, Lib.* 12. Fundatur autem hoc Jus adorationis in eo, quòd omnes dignitates temporales in Imperatore, tanquam in fonte, ex quo promanant, contineantur: Ceterùm hic non est sermo de adoratione divina (hæc enim Deo soli debetur) sed de adoratione humana & politica.

CAPUT VI.

De Iure dominij alti, quod habet Imperator respectu omnium bonorum, tam privatorum, quàm publicorum, in universo Imperio Romano.

1. HOc Jus sic breviter declarari potest. Cùm Reges creati essent, civile Imperium tueri non potuerunt, nisi medijs ad id necessarijs. Necesse itaque fuit ijsdem aliquas opes tribuer, eordinaria, subsidia & extraordinaria, quibuscum Regium decus servaretur, atque onera publica sublevaren-

rentur. Et in tantum honeſtas & publica utilitas, hoc ſuo quoque Jure vendicavit, ut Reges ratione jurisdictionis & adminiſtrationis, quaſi Dominos effecerit omnium bonorum, ita ut tantum ex univerſis Reipub. & privatorum bonis decerpere poſſit *Majeſtas*, quantum exigit *Neceſſitas*.

2. Fundatur hoc Jus ſive dominium altum in illo principio & axiomate notiſſimo ac veriſſimo: *Melius eſt ſervare totum, quàm partes*. Item, *Partes ordinantur ad conſervationem totius*. Ex quo ſequitur, ſingulorum privatorum bona & facultates ad conſervationem totius Imperij, ſive Reipublicæ ita impendi debere, ut Imperator omni eo modo de illis liberè diſponere poſſit ratione Juris & dominij alti quo ad finem prædictum opus eſt.

CAPUT VII.

De Iure primariarum Precum.

JUs primariarum Precum eſt Jus Eccleſiaſticum, ſoli Imperatori competens, cujus vigore ipſe bene meritas, vel aliàs idoneas perſonas ad beneficium primò vacaturum in Germaniæ Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis & Regula-

ribus Ecclesiis nominare potest, *Geil. 2. Obs. 155. Sixtinus lib. 1. de Regalib. lib. 2. c. 2. n. 36. Besold. in Synopsi Polit. cap. 2. n* 27. Dicuntur autem hæ preces primariæ, quòd semel duntaxat, seu primâ vice, non autem bis, vel sæpiùs uni eidémque Imperatori, in unâ eadémque concedantur Ecclesiâ. Quas quidem Preces si Precistæ præsentârint, & infra mensem vacantem præbendam acceptârint, Ordinarij eos investire tenentur, & ad hoc per Executores constringi possunt.

ANNOTATIO I.

An illegitimus frui possit precibus primariis?

Responsio est negativa, quia Cæsar eodem jure uti debet quo Papa. *c. is qui. de R. I. in* 6. maximè in materiâ spirituali. *c. Venerabilem. §. insuper, X. qui fil. sint. leg.* Nisi cum Illegitimo à Papa, dispensatum sit; Ac licet etiam Cæsar Illegitimum legitimare & naturalibus restituere possit, *t. 1. C. de natal. restit.* non tamen id factum censetur, nisi probetur; & si probetur, non sufficiet ad beneficialia, nisi adsit dispensatio eius, qui potest irregularitatem tollere. *Choc. pag. 76. lit. M.*

ANNO-

ANNOTATIO II.

An Precista preces suas in alium transferre possit per cessionem?

RՍEspondetur affirmativè: ut si fortè Matrimonium contrahere, aut professionem in Religione emittere velit, aut se irregularem agnoscat. Asserit hoc Sigismundus à Vorburg *in Rudiment. Jur. Canon. in fin.* idque exemplo & præjudicio ex Anno 1604. confirmat.

CAPVT VIII.

De Iure Academias erigendi & confirmandi.

1. JUs Academias erigendi & confirmandi numeratur inter ea, quæ Imperatori in specie reservata sunt. *L. unic. C. de profess. L. necessarium, 2. §. post hunc. 47. ff. de orig. jur. Ord. Cam. p. 1. tit. 3. §.* Deßgleichen sollen die Beysitzer. Hinc Academia Auditorium Imperiale vocatur. *L. unic. C. de stud. liberal. Urbis Romæ.*

2. In Academijs erigendis habenda est ratio salubritatis loci. Generaliter autem pro loco studij illos tractus optimos esse affirmat Besoldus, qui

habent montes, sive ab unâ, sive ab utrâque parte, & qui fluminibus irrigantur. Talibus locis sitæ sunt Academiæ Viennensis, Moguntina, Coloniensis, Herbipolitana, Salisburgensis &c.

3. Academiæ in ijs locis erigendæ sunt, in quibus suppetit alimentorum copia, & ubi sunt bene morati cives, paucissimíque lenones, meretrices, scurræ &c.

4. Academiæ non convenit locus, qui bellis aut seditionibus obnoxius est, vel in quo multi milites degunt. Constat enim, quantum detrimenti attulerit Academijs Pragensi & Erfordiensi militaris turba, cum qua studiosi ibi degentes sæpe cum utriúsque partis non levi detrimento manus conseruerunt.

5. Non expedit erigere Academias in fortalitiis, quæ sunt sita in limitibus Provinciæ aut Regni, ne occasio præbeatur explorādi & hostibus arcana revelandi. Itaq; fortalitia in meditullio Próvinciæ sita commodiora Academiarùm sunt domicilia.

ANNOTATIO UNICA.

Memorabilia de quibusdam Academiis.

1. ACademia Bononiensis à Theodorico II. Imperatore, qui Anno 425. ad Imperium pervenit,

nit, fundata est. In eâ Bartolus anno ætatis 20. pro Gradu Licentiæ sua studia repetijt, & anno 21. Doctor creatus est. In eadem Accursius quadragenarius Juri operam dare cœpit, & brevi tempore ita profecit, ut omnes superaret. Ibidem Pius V. Pontifex Max. quem nuper Clemens X. Pontif. in numerum Sanctorum retulit, Philosophiæ & Theologiæ operam dedit.

2. In Academia Coloniensi Nicasius Mechliniensis à puero cæcus, Jura publicè docuit. Hæc Academia superiori sæculo eam laudem reportavit, quòd cùm Henricus VIII. Angliæ Rex repudiatâ Catharinâ conjuge legitimâ, novísque cum Annâ Boleniâ contractis nuptijs, diversas Academias corrupisset, ut novum suum matrimonium ratum haberent, nullæ largitiones quantumvis effusæ Coloniensis Academiæ integritatem labefactare potuerint.

3. Academia Lovaniensis in Brabantiâ Anno 1426. à Coloniensi derivata fuit, cujus proinde filia dicta fuit à Pio II. Pontifice Max. Rectorē hujus Academiæ octo Pedelli in Festis præeunt, cum suis quísque sceptris; & Carolus V. Rectori aliquando cessit. In eâ Adrianus VI. ante Cardinalatum

latum studuit, postea Caroli V. Præceptor, & Papa factus.

4. Academiam Pragensem Carolus IV. Romanorum Imperator & Bohemiæ Rex Anno 1360. instituit, in quâ aliquando quatuor integris horis disputationibus interfuit: cúmque id molestè ferrent Purpurati, & tempus Cœnæ adesse insinuarent, respondit: *Mihi tempus est, vobis minimè; nam cœna mea hæc est.*

5. Academia Trevirensis est inter Academias Germaniæ antiquissima, in quâ D. Hieronymum commoratum fuisse, ex Epistolâ eius ad Florentium colligitur.

CAPUT IX.

De Iure condendi, leges fundamentales, & universales, eásque interpretandi, limitandi, & abrogandi.

1. Prima Pars huius Juris de Lege fundamentali constat ex Aureâ Bullâ, à Carolo IV. Imperatore conditâ, quæ est Lex fundamentalis Imperij Romano-Germanici, & firmissima petra Majestatis Imperatoriæ, ac tranquillitatis publicæ com-

nit, fundata eſt. In eâ Bartolus anno ætatis 20. pro Gradu Licentiæ ſua ſtudia repetiit, & anno 21. Doctor creatus eſt. In eadem Accurſius quadragenarius Juri operam dare cœpit, & brevi tempore ita profecit, ut omnes ſuperaret. Ibidem Pius V. Pontifex Max. quem nuper Clemens X. Pontif. in numerum Sanctorum retulit, Philoſophiæ & Theologiæ operam dedit.

2. In Academia Colonienſi Nicaſius Mechlinienſis à puero cœcus, Jura publicè docuit. Hæc Academia ſuperiori ſæculo eam laudem reportavit, quòd cùm Henricus VIII. Angliæ Rex repudiatâ Catharinâ conjuge legitimâ, novíſque cum Annâ Boleniâ contractis nuptijs, diverſas Academias corrupiſſet, ut novum ſuum matrimonium ratum haberent, nullæ largitiones quantumvis effuſæ Colonienſis Academiæ integritatem labefactare potuerint.

3. Academia Lovanienſis in Brabantiâ Anno 1426. à Colonienſi derivata fuit, cujus proinde filia dicta fuit à Pio II. Pontifice Max. Rectorē hujus Academiæ octo Pedelli in Feſtis præeunt, cum ſuis quiſque ſceptris; & Carolus V. Rectori aliquando ceſſit. In eâ Adrianus VI. ante Cardina-

latum fluduit, posteà Caroli V. Præceptor, & Papa factus.

4. Academiam Pragensem Carolus IV. Romanorum Imperator & Bohemiæ Rex Anno 1360. instituit, in quâ aliquando quatuor integris horis disputationibus interfuit: cúmque id molestè ferrent Purpurati, & tempus Cœnæ adesse insinuarent, respondit. *Mihi tempus est, vobis minimè; nam cœna mea hæc est.*

5. Academia Trevirensis est inter Academias Germaniæ antiquissima, in quâ D. Hieronymum commoratum fuisse, ex Epistolâ eius ad Florentium colligitur.

ANNOTATIO I.

An mortuus possit in Academia aliqua ad Gradum Doctoratûs promoveri?

PArtem affirmativam amplectitur Fagnanus *in libel. problem. cum meth. Jur. univ.* Sed negat hoc Abbas, eâ persuasus ratione, quod quis doctoretur ad docendum, *L. Magistri, C. de Profess. & Med.* quod non potest facere mortuus. Et quamvis non omnes Doctores doceant, nihilominus principalis finis Doctoris est docere: & potentia debet posse reduci ad actum. Neque par ratio

tio est de nobilitate, quâ mortuus insigniri potest, ut infra declarabitur, cùm de Jure nobilitandi disseretur.

ANNOTATIO II.

An Doctor in Academia possit legere per substitutum?

VIdetur id negandum, quia electa est industria Personæ: quod tamen limitatur à Lenauderio, asserente quòd Pater filium in Lectura substituere possit: uti reipsa fecit Baldus Ticini, allegando Textum singularem, *L. sciendum*, *§. Legari, ff. de Legat.* quam tamen Legem negat Hermes se invenire potuisse.

CAPUT IX.

De Iure condendi, leges fundamentales, & universales, eásque interpretandi, limitandi, & abrogandi.

1. PRima Pars hujus Juris de Lege fundamentali constat ex Aureâ Bullâ, à Carolo IV. Imperatore conditâ, quæ est Lex fundamentalis Imperij Romano-Germanici, & firmissima petra Majestatis Imperatoriæ, ac tranquillitatis publicæ com-

complectens ea, quæ Imperij & Imperatoris Jura, sublimium Electorum prærogativas, Sessionis ordinem, felicémque Statuum Imperij gubernationem concernunt.

2. Secunda Pars de Legibus universalibus patet ex *L.1.ff.de const.Princ.* & *L.1.C.de LL.* Abrogatio tamen Legum absque causâ justâ, & Consilio Statuum Imperij, ab Imperatore non est facienda. *Goldastus part.3.polit.Imper.tit.1.§.nulla.* Atque hoc Jus condendi, limitandi, interpretandi & abrogandi Leges, Regalibus accenset Joannes Guttierez *lib.5.Pract.quæstion.civil.q.17.n.233.* Sic & Statuta facere contra Jus commune, signum est supremæ jurisdictionis. *Carolus de Grassis de Except. ad Statuta Except.1.n.6.*

ANNOTATIO UNICA.

Memorabilis Lex contra immoderatum luxum utriusque sexûs lata.

SAleucus Locrensis argutissimâ quâdam pœnæ pensione luxum & intemperantiam in vestitu, suppellectile, comitatu &c. castigavit & compressit, dum hasce Leges præscripsit. Mulierem unâ duntaxat pedissequa comitetur, nisi cum temulenta fuerit; Nec urbe noctu egrediatur, nisi cùm adul-

adulteros adire cogitat; Neque aureis pretiosissimè vestiatur ornamentis, nisi cùm scortari, atque amatorem quærere voluerit. Viri similiter non se ornent annulis aureis splendidísq; vestibus; nisi cùm lenocinari, vel adulteria committere intendunt. Atque ita facillimo pœnæ genere, vituperio scilicet probri, deliciarum ac intemperantiæ labem coërcuit Saleucus. *Diod. lib.* 12. Vide etiam Cælium *lib.* 7. *c.* 10. *Antiq. Lection.*

CAPUT X.

De Jure immunitatis & exemptionis beneficio, cuius Imperator proprias Leges servare non tenetur.

1. NOn tenetur Imperator per se & directè ut plurimum suas proprias Leges ex vi coactivâ servare; quia vis Legis humanæ eiúsque obligatio oritur ex potestate ferendi Legem, de jure autem par in parem potestatem non habet. Similiter Imperator pœnis in suis Legibus contentis & impositis non subijcitur, quia nullus in seipsum potest judicium condemnationis ferre, si contra Legem agat. Unde Papa si percutiat Cle-

ricum, non est excommunicatus; & si Rex violet Legem suam, non incidit in infamiam, nec in pœnam perjurij.

CAPUT XI.

De Iure indicendi Comitia Imperij universalia.

1. LIcet Comitia Imperij extra Imperij fines indici non possint, *Capitulat. Ferdinandi II. & Ferdinandi III.* §. Deßgleichen. Potest tamen Imperator non modò tempus, sed etiam locũ quemcunque (modò is intra Imperij limites sit) pro futuris comitijs definire. *Recess. Imper. de anno* 1522. §. Vnd haben derohalben wir.

2. Potest Imperator Statibus Imperij sub gravi pœnâ præcipere, ut publicis Imperij comitijs personaliter intersint. *Recess. Imper. de anno* 1522. §. Vnd wiewohl hoch vonnöthen.

3. Universalia Imperij Comitia indicit Imperator non generali, sed speciali edicto singulis Imperij Statibus transmisso. *Althusius Polit.* 33. *n.* 5. *Paurmeist. de Jurisd. lib.* 2. *c.* 2. *n.* 20.

AN-

ANNOTATIO I.

In quo loco Imperator electus sua Comitia prima celebrare teneatur?

RESpondetur, primam Curiam seu prima Comitia Norimbergæ celebrari debere, vigore juramenti ab Imperatore præstiti, uti & Recessûs Imperij de Anno 1586. Unde cùm Carolus V. prima sua Comitia propter occurrentia impedimenta Norimbergæ celebrare non potuisset, de eo expresse protestatus est, id in præjudicium Aureæ Bullæ non vergere. Idipsum fecerunt Imperatores Maximilianus II. & Matthias: Ille Anno 1566. Hic Anno 1613.

ANNOTATIO II.

De Nuntio Apostolico nimium luxum, & superfluas impensas Comitiorum Germanicorum perstringente.

NImium Germanorum Luxum in Comitijs Raimundus Cardinalis Guisensis, & Nuncius Apostolicus in Epistola ad Status Imperij Norimbergæ congregatos, scriptâ, his verbis perstrinxit: Si Reverendissimi Patres, Illustrissimi Principes, Excellentissimi Senatores, vim pecuniarum, quam decem

decem annis in celebrandis diætis insumpsistis, in armando contra Turcam exercitu exposuissetis, jam ille nec de Italia, nec Germaniâ cogitaret, sed relictâ Europâ secum bene agi putaret, si ea, quæ tenet ultra Bosphorum possideret.

Annotatio III.

Incepta comparatio Comitiorum Imperialium cum Parlamentis Galliæ.

1. Quòd Bodinus Parlamenta Gallica cum Comitijs Germanorum comparet, id multi ineptum & absurdum reputant: quia Parlamenta Gallica, præsertim hodie, nihil aliud sunt, quàm instrumenta Regum, per quæ pro libitu populo imponere possunt quidquid volunt: è contrario quæ facta Reges infecta esse desiderant, ea in Parlamentum reijciunt.

2. Narratur de Henrico IV. Rege Franciæ, eum aliquando in Parlamento dixisse: *Ego sum Rex, vos estis Parlamentum: sic volo, sic jubeo;* quasi diceret: Vos tantùm Consiliarij mei estis, igitur vestra consilia & deliberationes, si mihi displicent, reijcio.

An-

ANNOTATIO IV.

De Jure indicendi Comitia Imperij, irrequisito consensu Regis Bohemiæ.

1. AD indictionem Comitiorum non requiritur consensus Regis Bohemiæ, licèt aliorum Electorum consensus sit necessarius. *Arumnæus cap.3.n.38.* Porrò licèt Rex Bohemiæ non vocetur ad Comitia Imperij: solet tamen electionis actibus interesse. *Ibid.* Et competit ei tertium votum in electione Regis Romanorum. *Aur. Bull. c.22.*

2. Aliqui asseruerunt Regem Bohemiæ tantùm in casu discordiæ Electorum habuisse votum in electione Regis Romanorum, & Imperatoris. Sed quidquid sit de usu antiquo, hodie certum est, Regi Bohemiæ, Electoribus etiam non discordantibus, certum & proprium in electione votum competere. *Aur. Bull. tit.13.* §. Zum dritten.

CAPUT XII.

De Iure constituendi Vicarium Præsidem Comitiorum Imperialium.

CÆsar non semper personaliter præest Comitiis, sed nonnunquam Præsidem Vicarium in

eâ functione sibi substituit. Cur enim, quod Principibus & Statibus Imperij licet, ut per suos Legatos, Commissarios &c. compareant, id Imperatori non liceret? Ita Fridericus III. Imperator ad Comitia Norinbergam Comitem de Werdenburg, Maximilianus Anno 1489. Francofurtum filium suum & Episcopum Aichstadensem ablegavit. Carolus V. operâ fratris Ferdinandi usus est, *Recessus Imperij* zu Nürnberg/ *Anno* 1424. 1525. & 1545. & 46. Ita pariter præsentibus Comitijs Ratisbonæ Anno 1662. inchoatis, quæ adhuc continuantur, Invictissimus Romanorum Imperator LEOPOLDUS vicariâ potestate Celsissimum Principem GUIDOWALDUM Archiepiscopum Salisburgensem, & post hunc Episcopum Aichstettensem præfecit: quo demortuo Celsissimus Princeps SEBASTIANUS Episcopus Passauiensis in eodem munere successit.

CA-

CAPUT XIII.

De Iure belli, tum indicendi, tum iuxta Leges Imperiales & Polemicas gerendi.

BEllum indicere, olim ex *L. Romuli*. 12. spectabat ad populum (sine cuius consensu bellum gerere capitale erat, teste Platone 12. *de Leg.*) à populo transiit ad Imperatorem, *L.* 1. *de constit. Princip. L.* 2. *novissimè, ff. de orig. Jur.* Præsumitur autem causa justa in bello ab Imperatore sive supremo Principe indicto. *Klock. de contribut. c.* 4. *n.* 311. & 312.

2. Qui bellum in Imperio absque licentiâ & consensu Cæsaris movent, incidunt in crimen Læsæ Majestatis, *L.* 3. *qui injussu Principis bellum gesserit. ad L. Jul. Majest. Receß. Imper. August. de Anno* 1555. §. Wo sich aber/ rc. Quòd si quis bellum sine facultate & consensu Imperatoris gesserit, etiamsi in incrementum Romani Imperij vergat, pro spurio tamen haberi debet. *L. desertorem*, 3. §. *qui in bello, de re milit.*

3. Tametsi rarum sit pietati cum militiâ commercium, juxta illud Poëtæ:

Nulla fides, pietásque viris, qui castra sequuntur.

Indubitatum est tamen, tantum pietati ad reportandam ab hoste victoriam inesse præsidij & efficaciæ, quantum authenticarum monumenta historiarum attestantur.

Philippo II. Hispaniarum Monarchæ gravissimum ab Anglis, Gallísque armorum conspiratione junctis, bellum incumbebat. Ille viribus impar, ad Deum sibi confugiendũ esse censuit. Quocirca die S. Laurentij, quo decretoria imminebat pugna, ad Sancti illius memoriam, illustre Monasterium construendum Deo promisit: obtinuítq; tam insignem ab Henrico II. Galliarum Rege ad S Quintinum victoriam, ut ille viribus prorsus attritis nihil deinde egregium ausus sit. *Ortelius in Cosmographiâ.*

4. In bello ad eum scopum est collimandum, ut hosti imponatur necessitas exercitum suum ex hostico ad propriæ Regionis defensionem abducendi. Sic Athenienses, consilio Periclis irruperunt in Peloponnesum: Scipio in Africam: Agathocles in agrum Carthaginiensem. Ten-

Tentârunt id ipſum ſuperiore bello Batavi, & quidem eventu felici, dum juncti Anglis, inſtructiſſimâ claſſe Gades munitiſſimum Hiſpaniæ Oppidum vi armíſque expugnarunt, ac in prædam militibus dederunt. Deinde ſecundâ expeditione navali Canariam fortiſſimum Oppidum, nec non Inſulam Divi Thomæ ferro armíſque ſubegerunt.

5. Bellum non ſemper vi & armis, ſed nonnunquàm etiam conſilio & induſtriâ: non ſemper Marte aperto, ſed quandóque etiam arte opertâ, non ſemper fortitudine leoninâ. ſed ſubinde etiam aſtutiâ vulpinâ, & idoneo ſtratagemate gerendum eſt.

Inſigne fuit ſtratagema illud, quo Anno 1590. Comes Mauritius Naſſovius Polemarchus Hollandorum, nave 70. fortiſſimis militibus, quorum Dux erat Carolus Heraugierius Capitaneus bello inclytus, repletâ; & ceſpitibus, ne apparerent, ſupernè tectâ, munitiſſimam urbem Bredanam, unà cum arce ſeu propugnaculo, occupavit.

6. Magnitudinem exercitûs non ſemper ſequitur magnitudo victoriæ. Itaque major in virtute, quàm in copiâ militum ſpes collocanda eſt.

Tigranes Rex Armeniæ & Syriæ, defensurus Socerum suum Mithridatem Regem Ponti adversùs Luculli, & Romanorum potentiam, collegerat exercitum ducentorum quinquaginta millium: & hâc magnitudine exercitûs elatus atque inflatus, multa superbè effutivit, perinde quasi ad victoriam præter magnitudinem apparatûs belli nihil aliud requireretur. Sed hunc superbum Regem exiguâ manu Lucullus vicit, atque profligavit, cæsis hostium centum & quinquaginta millibus; ut refert Plutarchùs in Lucullo.

Batavi, cùm non ignorarent illud Thucydidis: *Si paucis navibus contra plures dimicandum sit, angustiæ Maris eligendæ sunt.* Anno 1588. Alexandrum Ducem Parmensem quadraginta millia militum sub signis habentem, parvo numero navium ante portum Dunkerkanum coërcuerunt, & ne cum exercitu suo egredi, alterísq; classi Hispaniæ se conjungere posset, impediverunt.

Anno 1598. cùm Franciscus Mendoza, Admirantius Arragoniæ & Castiliæ præesset exercitui Hispanico instructissimo, ex viginti octo millibus militum conflato, Mauritius Comes Nassovius Hollandicarum copiarum Ductor, cum septem milli-

millibus illi obviam processit, & circa Eltenam Oppidum Cliviæ aliquot horarum spatio paratus in acie stetit, hostem ad pugnam provocans: sed is metu & consternatione perculsus, cum provocante confligere recusavit.

7. Bellum defensivum, quo vis injustè illata repellitur, semper est licitum, sed offensivum majori consideratione, curâ, & cautelâ indiget, multíque Principes prudentiæ, laude conspicui illud devitant pacíque postponunt.

Cùm Fridericus Dux Saxoniæ, Comiti Bichlingio Antistiti Magdeburgensi bellum esset illaturus, exploratorem misit, qui eius consilia & apparatum bellicum indagaret. Is renunciavit, nihil bello oportunum parari, neque etiam conscribi militem: Antistitem insuper dixisse, se causam commissurum Deo, qui pro se arma sumpturus sit. Quod cùm Fridericus cognovisset; Alius, inquit, insaniat, ut bellum inferat ei, qui confidit se Deum defensorem habiturum. Laudandus Antistes, qui spem suam in Deo collocavit. Laudandus Dux, qui Deum veritus, arma deposuit.

8. Bellum semper infeliciter geritur, quando annona sive commeatus, aliáque ad conservatio-

nem

nem militum necessaria malignè suppeditantur: potéstque talis exercitus absque ferro & armis debellari.

Laudabilis & imitabilis est industria Hollandorum, qui quotiescúnque cum exercitu in hostem proficiscuntur, edicto publico mandant (quod in omnibus ferè unitarum Provinciarum urbibus promulgatur) ut omnes Mercatores, Lixæ, aliíque, qui necessaria alimenta exercitui suppeditant, magnâ copiâ & singulari diligentia, panes, carnes, vinum, cerevisiam, aliáque esculenta & poculenta, omnem denique commeatum, & quidquid vitæ humanæ, præsertim militari, necessarium est, conquirant, & convehant ad usum exercitûs: adjuncto privilegio immunitatis à vectigalibus; quia castra Hollandorum sunt libera, & ab omnibus tributis immunia. Additúrque, ne ulli liceat quemcúnque mercatorem, institorem, lixam, aliúmve exercitui necessaria advehentem, propter debita quovis modo contracta, eo tempore detinere, vel in jus vocare.

9. Periculosissimum est, cum duobus pluribúsve hostibus simul bellum gerere: cùm ne Hercules quidem contra duos prævaleat.

Sfor-

Sforcia Magnus dicere solebat, nihil commodius ac utilius videri, quàm tribus propositis hostibus, cum primo pacem pacisci, cum altero autem inducias parare, ut in tertium maximè expedita & graviora arma verterentur. Idque suo exemplo egregiè ostendit. Multos inimicos connubiis & affinitate sibi conciliavit, quorum auxilio reliquos opprimeret. *Jovius in ejus vitâ.*

10. Celeritate in bello utendum. Ea est in Polemarcho maxima Virtus, & ad reportandam ab hoste Victoriam grande adjumentum. Ex improviso enim hosti adveniens opprimit eum, antequam se ad resistendum comparare possit.

Julius Cæsar incepit bellum civile cum trecentis peditibus & quinque millibus equitum: Verùm per celeritatem incredibilem animos inimicis subitò eripuit, nullúmque tempus conscribendi militem reliquit, totámque Italiam spatio sexaginta dierum occupavit.

11. Mora omnis cùm in aliis sit nociva, tum in bellis est omninò perniciosa, in quibus levi flatu vertuntur vela fortunæ.

Anno 1604. Carolus Sigismundi Regis Polo-

niæ Patruus Regnum Sueciæ occupavit, Sigismundo Nepote planè abdicato, rem perdidit Sigismundus nimiâ cunctatione, fortunam paratam morâ corrumpens.

Fatendum est tamen cunctationem temerariæ festinationi præferendam esse. Unde illud Philippi II. Hispaniarum Regis Elogium: *Cunctator eximius, qui temeritate nunquam peccavit.*

12. Danda est opera, ut quæ bello parta sunt, non minori studio conserventur, quàm acquisita fuêre.

Carolus re & nomine Magnus, bellator Sapiens & victoriosus, virtute bellica Coronam Imperialem obtinuit, quam degeneres ejus Posteri deinde perdiderunt. Quantus autem Familiæ seu Posteritatis Carolinæ degenerandis contemptus fuerit, vel hinc patet, quòd Carolus Crassus, (qui primus post Carolum Magnum totam Galliam, Germaniam & Italiam obtinuit) Imperio fuerit spoliatus consensu procerum: ita quidem, ut per triduum etiam cibo destitueretur, & fame ipsi fuisset pereundum, nisi Episcopus Moguntinus ex culina sua ipsi aliquid alimenti suppeditasset. ANNO-

ANNOTATIO I.

Memorabilis industria, quâ tum Romani olim, tum Hollandi nostrâ ætate militaris ærarij inopiam sublevârunt.

1. CUm olim bello Punico exhaustum esset ærarium publicum, Marcus Valerius Lævius alter Consulum suasit Senatui, ut publica collecta, seu Contributio, sed eâ ratione indiceretur, ut si quid inferioribus injungendum esset, id prius in Senatores, Equitésque statueretur: sic fore, ut omnes obediant; ideo eos hortabatur, ut singuli Rempublicam adjuvarent; effecitque ut annulos sibi quisque & conjugi, & liberis, quæque ad Deorum cultum spectant, reservarent, cæterum omne aurum, argentum, æs signatum ad Triumviros mensarios ex templo deferrent, nullo antè Senatusconsulto facto, ut voluntaria collatio, & certamen adjuvandæ Reipublicæ excitaret ad æmulandum animos omnium. In hæc, autem narrat Livius, tanto animo consensum, tantúmque argenti & auri collatum fuisse, ut nec Triumviri accipiendo, nec Scribæ referendo sufficerent: ita sine Edicto, sine

cohortatione Magiſtratus, nec remige in ſupplementum, nec ſtipendio Reſpublica eguit.

2. Induſtriam Romanorum imitati ſunt ætate noſtrâ Hollandi, in obſidione Bredanâ, ubi, cùm maximâ pecuniæ penuriâ premerentur, ſinguli Cives juramento adacti fuêre, ut quantum haberent pecuniæ, ad Senatum deferrent, eamque Quæſtoribus Ordinum fœderatorum authoritate creatis, mutuam darent ad operum ſumptus, militúmque ſtipendia perſolvenda, quando Ærario anguſtè erat proviſum, ne quis falleret, recuſaretque, præivêre jusjurandum Vrbis Præfectus, Tribuni, Prætor, Senatores, Centurionesque militares, atque Vrbani, tum plebs authoritate victa haud gravatè ſecuta eſt. Collatum æris in publicum, ad centum quinquaginta millia ſcutorum, quâ pecuniæ ſummâ militi hebdomadatim ſua ſtipendia numerata, operúmq; expensæ ſolutæ, referente Hermanno Hugone *in obſid. Bredan. fol.* 32.

ANNO-

ANNOTATIO II.

De Civibus Massiliensibus Societatem belli Civilis, inter Cæsarem & Pompejum flagrantis, sapienter declinantibus.

1. FLagrante bello civili inter Cæsarem & Pompejum, soli ex omnibus Galliæ incolis Massilienses neque Cæsaris partes, neque Pompejanam factionem secuti; cùm ab illo rogati fuissent, ut in Urbem suam reciperetur, hoc memorabile responsum dederunt: Esse se socios Populi Romani: ceterùm in præsentia neque curiosè se inquirere, neque sufficientes esse ad inquirendum utrius causa justior sit: proindè si quis amici more ad se venire vellet, utrumque se absq; armis venientem accepturos: sin bello veniant, neutrum, *Dio lib.* 41.

2. Versabatur nimirum ob oculos Massiliensium ille Aphorismus Politicus Thucydidis: *Vicinæ calamitates potiùs, cùm licet, absque periculo spectandæ, quàm sese illis absque causâ gravissimâ implicandum: Ne tota clades, in nos ipsos tandem, quamvis duntaxat incendio supervenientes, non autem in ipsos incendii auctores incumbat & ruat.*

ANNOTATIO III.

An Eunuchi & Spadones possint esse Milites?

EUnuchos, Castratos, utroque teste carentes militare non posse tradit Baldus *in L. Milites, ex quib. caus. maj.* Aliud est de eo, qui unum tantùm testem habet, *L. 4. de re milit.* sive ita natus sit, sive amiserit alterum, vel culpa sua, vel injuriâ Latronum, vel Medici præcepto, cùm talis non censeatur morbosus, *L. Pomponius, §. fin. de Ædil. Ed.* Spadones tamen non paucos milites strenuos fuisse, historiæ testantur: inter quos præ ceteris eminet Narses Polemarchus Justiniani Imperatoris, qui Gothos Italiâ expulit.

ANNOTATIO IV.

An surdus, mutus, Carus sint capaces Militiæ?

MIlitem neque mutum, neque surdum esse oportet, quia ille examinari nequit. Hic neque jussa ducis, neque signum tubæ seu Classici audire seu intelligere potest. Oculo tamen carens non excluditur (si altero ad videndum uti possit) quia tales fuere præclari Milites: ut Philippus Pater Alexandri M. Hannibal, Zischa Hussiticarum Partium fautor in Bohemia, qui altero

altero oculo amisso. Multis victoriis potius est.

ANNOTATIO V.

Infelices bellorum à Ludovico Sfortia gestorum eventus imperitiæ Polemarchi seu Belli ducis imputati.

PRofectò nihil aliud Ludovici Sfortiæ res tantopere afflixit, ut ex opulentissimo Principatu dejectus tot tantarumque rerum viginti dierum spatio jacturam fecerit (quibus bellum in multos annos ducere potuisset) quàm quòd Paleatium Sanseverinatem, bonum Palæstritam, sed malum militem, ex inordinato ergo hominem affectu, exercitibus suis præfecerit; Fratrique suo, ætate ac rei militaris peritiâ longè illum antecellenti, prætulerit.

CAPUT XIV.

De Jure decernendi & concedendi Represalias.

1. JUre Represaliarum utimur adversùs externos, ob denegatam justitiam, irrogatas injurias, illata damna. Quam doctrinam sic declaret.

clarat Layman in sua Theologia Morali *Lib.* 2. *Tract.* 3. *cap.* 12. exemplo allato ex Victoria de Gallis & Hispanis. Per literas, quas vocant Represaliarum, Princeps vel Respublica subditis aut militibus suis damnum injustum passis potestatem facit invadendi terram eorum qui damnum intulerunt, & occupandi bona incolarum, etiam innocentium, donec justa damni compensatio fiat: dummodo prius communitas, vel is qui communitati præest, admonitus, compensationem facere aut imperare neglexerit: Ut si Galli (inquit Victoria) *de Jure belli n.* 41. fecerint prædas in agro Hispanorum, & Rex Francorum nolit cogere subditos suos ad Restitutionem, cùm possit, possunt Hispani authoritate Principis spoliare Mercatores Gallos, aut agricolas, quantumcunque innocentes: quia licet fortè à principio Respublica aut Princeps Gallorum non fuerit in culpa, jam tamen est in culpa, quia negligit vindicare. Hactenus Victoria.

2. Imperator non facilè concedit represalias, propterea quòd præbeant occasionē rapinarum, quódque ex iis pugna quædam offeratur. *Gail. Cap.* 2. *de pign.* 3. potest tamen eas concedere;

Cùm

Cùm enim ipſi jus belli competat, ut ex capite præcedenti liquet, quid ni & jus repreſaliarum, quæ nihil aliud ſunt, quàm ſpecies juſti belli?

3. Repreſaliæ ſunt licitæ Theologicè, & in Conſcientia loquendo, ſi ſequentes fuerint Conditiones. I. Si manifeſtè conſtet, cives alterius Reipublicæ feciſſe injuriam. 2. Si Superiores eorum rogati recuſent adminiſtrare juſtitiam. 3. Si conſtet eos culpabiliter id recuſare. 4. Si Princeps ſupremus causâ cognitâ id concedat, 5. Si non inferatur plus damni, quàm juſta ſatisfactio requirit. 6. Si non concedantur repreſaliæ in perſonas Eccleſiaſticas. Nam qui repreſalias (hoc eſt, actiones pignorandi pro debito) concedit, vel extendit ad perſonas Eccleſiaſticas, excommunicationem incurrit ipſo jure latam in perſonas ſingulares; interdicti verò in communitatem, *c. un. de injurijs in* 6. niſi intra menſem revocaverit, ut teſtatur Layman *lib.* 2. *Tract.* 3. *c.* 12.

CAPUT XV.

De Jure Pacificationis.

1. JUs pacificationis, ſeu pacis concludendæ, Imperatori competere (ſed cum conſenſu omnium Statuum Imperij) liquet ex Inſtrumento Pacis Suecicæ.

2. Pacificatio includit Jus Amniſtiæ, quæ eſt oblivio injuriarum ex bello, vel illius occaſione ortarum. Atque hæc oblivio ad pacificationem eſſentialiter requiritur, de quo Eiben *in Jure publico.*

3. Pax obligat non modò paciſcentes ſeu pacem ineuntes, ſed etiam paciſcentium heredes, licet illorum expreſſa mentio non fiat, uti Gudelinus colligit *in tr. de Pace ex Cap. Edoceri, de Reſcript.* Et quidem à tempore publicationis ſtatim, *arg. inſtr. pac. circ. fin.* non ut lex, quæ tempore publicationis non niſi poſt duos menſes obligat.

AN-

ANNOTATIO I.

Pax inter Ludovicum XI. Galliæ & Eduardi Angliæ Reges inita, per columbam candidam designata.

FIrmata pace inter Ludovicum VI. Galliæ & Edoardum Angliæ Reges, plurimi dicebant eam pacificationem ſingulari beneficio Spiritûs ſancti peractam eſſe. Nam quo die Reges convenerant, columba candida conſederat in tabernaculo Edoardi, nec ullo ſtrepitu aut clamore fugari poterat. *Philippus Cominæus lib. 6. Hiſtor.*

ANNOTATIO II.

De Republicâ Venetâ pacem cum Turcis iniquiſſimis conditionibus, metu gravioris mali ineunte.

VEneti bello gravi à Solimanno Turcarum Imperatore preſsi, ad pacem inclinabant. Franciſcus I. Galliarum Rex cùm Venetam Rempublicam armis Turcicis ita cuperet attenuari, ut poſthàc tam fortiter conatibus ſuis in Italiâ reſiſtere non poſſet, Legatum Venetias miſit, qui mentione pacis inter Cæſarem & Regem Galliæ injectâ, oſtentatâque ſpe auxiliorum, à Cæſare &

 Gallo

Gallo adversùs Turcas conferendorũ; non modò pacem, sed inducias etiam cum Solimanno dissuaderet: cùm interea per Gallos Venetorum decreta & consilia omnia, quorundam Patriciorum perfidiâ Solimanno detegerentur: Veneti insidias præsentientes, pacem cum Turcis, vel iniquissimâ conditione, Nauplio & Epitauro traditis, pepigêre. *Sabell. Supplement. lib. 24. ex Jovio.*

Annotatio III.

De duobus Electoribus, Saxonico & Brandeburgico studio pacis effusionem Christiani Sanguinis, exemplo omnibus Principibus imitabili, impedientibus.

CUm duo Reges, Matthias Hungaricus & Casimirus Polonicus, adduxissent exercitus ad urbem Uratislaviensem, & uterque suo Silesiam adiicere conaretur, eluxit eximia concordia, & amor patriæ nationísque Germanicæ in duobus Principibus, Saxonico & Brandenburgico, qui conjunctis armis & animis ad Germaniæ defensionẽ se accinxerunt, & vicinos Principes in Societatem honestissimi consilii adduxerunt, cùm apud eos plurimùm auctoritate & benevolentiâ valerent.

rent. Itaque Electores illi, Brandenburgicus & Saxonicus adductis ad Reges Hungariæ & Poloniæ sex millibus equitum, testati sunt, se utrique Regi amicos esse, nec permissuros ut bellum ipsi inter se gerant, exitiale Europæ, & utile Turcis. Quare honestas conditiones pacis utrique Regis se propositu ros esse dixerunt: quas uter ex Regibus accepturus sit, ei se copias suas adiuncturos, ut alter vi opprimatur, vel saltem reprimatur, atque ad ponenda arma compellatur; neque passuros se esse, ut exterorum armis Germania devastetur. Rex Casimirus & æquitatis, & Germanorum Principum amicus erat: quare minùs à pace abhorebat, quàm Matthias, qui ægrè ferebat sibi leges præscribi, & cedebat invitus. Quia tamen videbat se Polonis & Germanis, si conjungerentur, non fore parem, conditiones paci sanciendæ proponi passus est. Re utrúmque mutuis altercationibus disceptatâ & disputatâ Elector Brandenburgicus totam causam complexus, quatuor horis disseruit, & longa oratione Germanorum Principum consilia, & pacis conditiones, Regúmque voluntates, & pacta exercitibus exposuit. Atque ita pax inter dissidentes coaluit. *Richter in axiomat politic.*

AN-

ANNOTATIO IV.

De Ludovico XI. Rege Galliæ pacem etiam cum aliquâ jacturâ dignitatis, ad evitandam graviorem jacturam, bello præferente.

Ludovicus XI. Rex Galliæ bello à Carolo Fratre natu minore, qui cum Carolo Burgundo, & Francisco Brittanno fœdus percusserat, pressus, licet omnium Regum callidissimus haberetur; Francisci Sforciæ Mediolanensium Ducis consilio usus, tempori cessit, & quasvis graves, durásque pacis conditiones suscepit: æquiore animo dignitatis, quàm Regni jacturam ferri debere persuasus, donec fœderis inani specie elusos, dispectis ac dissipatis eorum viribus, opprimeret. *Brutus lib.* 1. *Histor. Florent.*

CAPUT XVI.

De Jure faciendi inducias.

Cum Imperator habeat jus faciendi pacem, poterit utique etiam facere inducias, juxta illud vulgatum: *Qui potest quod plus est, potest etiam quod minus est, in eodem genere.* Constat autem Pacem

cem & Inducias versari in eodem genere, cùm Magnam inter se habeant affinitatem, & per has sæpius ad illam via sternatur. Unde etiam si induciæ longiores sint, pacis nomine veniunt teste Besoldo c. 3. n. 3. Induciæ tamen propriè sumptæ à pace differunt quia non nisi ad certum tempus indicuntur: quas proinde otium & belli ferias Varro, somnum belli Grotius, Canonistæ & Feudistæ Treugam appellant. Unde nata est Vox-Trevis, **Anstand oder Stillstand der Waffen.** Tales armorum ferias & intermissiones concesserunt olim Romani Hetruscis, 30. annis duraturas: pacem verò negârunt.

ANNOTATIO Unica.

An induciæ ad certos dies factæ comprehendat etiam noctes?

REspondeo, inducias dierum intelligendas esse de die civili, qui noctem & diem, sive duas dimidiatas noctes, & diem naturalem intermedium complectitur, *L. More Rom. ff. de feriis.* Unde malè Cleomenes, cùm hoste septem dierum pactis induciis, nocte populabatur agros; quòd diceret dierum, non noctium esse inducias.

CA-

CAPUT XVII.

De Jure pangendi fœdera.

JUs pangendi fœdera etiam olim inter Regalia relatum fuiſſe, demonſtrant tabulæ æneæ vetuſtæ, Romæ exiſtentes, quibus hæc formalia inciſa ſunt: *Fœdus cum quibus volet, facere liceat, ita ut licuit D. Auguſto.* De quo videatur Sixtinus *de Regalib. lib.* 1. *c.* 1. Boetius *diſp. de Jur. Majeſt. c.* 3. Erneſtus Zorn *diſput. de Jurisdict. theſ.* 22. Porrò fœdus nihil eſt aliud, quàm publica pactio inter Perſonas Illuſtriores, populos vel civitates, de mutuis auxiliis præſtandis, amicitia & pace ineunda, vel conſervanda, aut alia commoditate communicanda.

ANNOTATIO I.

De fœdere inter Regem Galliæ & Cantones.

VI fœderis olim inter Ludovicum XI. Regem Gallorum & Cantones initi tenentur Hi prædicto Regi mittere aliquot millia Militum Helvetiorum, dato tamen priùs ſolvendi pro militibus

bus stipendii Fidejussore sufficienti, eodemque Helvetiæ incolâ. Vide Sprenger. *In Institut. Jur Pub. Lib.* 1. c. 26.

ANNOTATIO II.

De fœdere inter Regem Galliæ & Suecos superiori bello tricennali inito.

SIcut in Societate privatorum, alter Socius aliquando pecuniam, alter operam confert, *L.* 1. *C. pro Soc.* Ita & in publica Confœderatione usu venit. Flagrante tricennali bello Germanico, Rex Galliæ Suecis, suis Confœderatis contulit quotannis quadringenta Millia florenorum, Succi operam & milites adjecerunt. *Sprenger Loc. sup. Citato.*

ANNOTATIO III.

De Sacro fœdere Religionis quondam inter Reges Hispaniæ & Galliæ Constituto.

COoperante quondam Elisabetha Regina Hispaniæ, Sorore Caroli IV. Regis Galliæ, constitutum est sacrum fœdus Religionis inter Regem Hispaniæ Philippum, & prædictum Carolum

lum Regem Galliæ : vigore cujus religio Vetus instauranda & Conservanda, nova autem extirpanda erat. Et quoniam Gallia à novarum sectarum professoribus infestabatur, ideo Rex Hispanus auxilia ingentia adversùs eos pollicitus fuit, uti & è Contrario Gallus Hispano, quantum occasio reliquæque circumstantiæ postularent. Uterque verò ad Romanam doctrinam, & Catholicæ Religionis dignitatem modis omnibus conseruandam sese obstrinxit. Verùm eo tempore majora sese objecerunt obstacula, quàm ut concepta animo consilia in opus effectúmque conferri possent.

ANNOTATIO IV.

De doloso fœdere quod Bajazethes II. Imperator Turcarum cum Venetis pepigit.

BAjazethes II. inito clam fœdere cum Ludovico Mediolanensi principe, bellum Venetis inferre decreverat : consilia tamen sua tegens Andreas Zancanium Venetorum legatum benignè excepit, & cum eo etiam fœdus renovavit, sed fœderis capita latinis scripta litteris eis dedit.

dedit. Eſt autem in eorum legibus, ut quæ ſuæ linguæ verbis Scripta non ſunt, præſtari non ſit neceſſe. Erat tum Conſtantinopoli civis Venetus Andreas Grittus, qui mercaturam eâ in urbe annos complures exercuerat. Is quòd omnia Turcarum inſtituta callebat, ea de re Zancanium admonuit, atque ut fœdus verbis barbaris conſcriptum peteret pro ſuâ in patriam charitate illum eſt hortatus: Zancanius re tentatâ, cùm nihil efficere potuiſſet, cum fœdere latinis Scripto litteris ad urbem rediit: néve nihil videretur attuliſſe, id quod ab Gritto ea de re Bizantii accepiſſet, ſenatui reticuit, Grittus ſenatum ea de re admonuit, ne imparati à tyranno obruerentur. Eam ob cauſam à Bajazethe in vincula conjectus, de vita etiam periclitatus eſt: ſed tandem liberatus ſummam aliquot poſt annis dignitatem in patria obtinuit. *Bembus lib. 4. Hiſtor. Venetæ.*

CAPUT XVIII.

De Jure repetendi & recuperandi omnes Provincias, civitates, Jura &c. ad Imperium Rom. pertinentia, quæ olim, sive per illicitam alienationem, sive per rebellionem, sive aliis injustis modis tam in Italia, quàm alibi Imperio erepta fuerunt.

QUemadmodum Domino in servum fugitivum perpetua est manûs injectio; sic quoque Imperatori (cui prædecessoribus nullum Creari potuit præjudicium) perpetua manet rebellium vindicatio. Omnium quippe gentium moribus repugnat, ut fugitivus servus à Domino, quem temerè respuit, eo ipso statim fit liber; ut transfuga ad hostem miles, deserti Ducis authoritate non teneatur; ut perfidus juramenti violator, ipsius juramenti vinculò non adstringatur. Idque satis demonstrârunt Maximiliani I. Imper. Copiæ in Italiam missæ, quæ ingenti metu omnes Civitates perculêre. *Bodin. Cap. 9. fol. 193. num. 123.* Extat etiamnum

ejusdem Maximiliani rescriptum ad Venetos apud Goldastum. *Tom* 3. *Constit. Imper. fol.* 483. Quo de defectione Civitatis Patavii graviter Conqueritur, utque Imperium Romanum tanquam legitimum Magistratum recognoscat, atque ad Imperium redeat, sub privatione omnium jurium & Comminatione excidii præcipit. Extat quoque Veneti oratoris Antonii Justiniani supplex ad Maximilianum I. Imperatorem oratio apud Francisc. Guicciardinum *Lib.* 8. *Histor.*

ANNOTATIO I.

De Carolo IV. Cæsare ideo malè audiente, quod per illicitas bonorum Imperii alienationes Aquilam Imperialem miserè deplumaverit.

CArolus IV. Imperator ob quædam minimè est laudabilis, quòd scilicet in Italiâ quasi mercatum agens, omnia concedens omnibus, à quibus pecuniam corradere poterat, ut competitoribus pacatis, bonis Imperii, quibus inhiabat, potiretur, unde Gunthero Schwarzenburgico ab aliis Electoribus designato Impera-

tori 22000. marcarum argenti & in Thuringiâ duo oppida ad vitam dedit. *Cuſpinian. in vitâ Guntheri.* Poſt obitum verò Guntheri, Friderico Marchioni in ejus locum electo 10000. marcarum ſolvit, Imperio cederet. Adhæc ut filium ſuum Wenceslaum hominem degenerem, monſtrum illud hominum ad Imperium promoveret, cuique Electori centum flor. millia promiſit, cúmque ea ſolvere non poſſet, telonia Imperii non tam oppigneravit quàm abalienavit, Aquilámque Imperii miſerè deplumavit. *Cranz. in Saxoniâ lib.* 10. *c.* 3. Adeóque totum Imperium ad ſublimationem Bohemiæ venditurus fuiſſet, ſi modò emptorem inveniſſet, quorum intuitu Maximilianus I. Imper. dixiſſe fertur eo peſtilentiorem peſtem Germaniæ núnquam obtigiſſe; nam reditus Imperii, qui adhuc tempore Barbaroſſæ tonnas auri 60. confecerant, teſte Schneidew. *ad t. de ſucceſſ. ab Inteſt, de ſucceſſ. Fiſci n.* 5. Hodie adeò ſunt exigui, ut inde Imperator aulam alere nequeat. Idem Carolus Familiæ Vicecomitum perpetuum Vicariatum in magnū Imperii detrimentum per Lombardiam conceſſit. *Cuſpinian.*

ſpinian in vitâ Caroli IV. Regnum quoque Arelatenſe ab Ottone III. Imperio adjectum, unius prandii gratiâ, in Villâ novâ prope Avenionem Galliæ Regi tradidit. E contrario autem Sturmius in *Avenione pag.* 10. Refert, Regnum Arelatenſe Philippum Valeſium à Cæſare Ottone, & ſupremam in eo poteſtatem pro pretio 30000. marcarum argenti accepiſſe, quam venditionem ſtatus Imperii approbârint. Idem *d. l.* addit: Carol. IV. Argentorati publicè ſcripto vulgâſſe, ſi in Regno Arelatenſi cum Imperii Inſignibus compareret, id Regi Galliæ non fore præjudicio. Sedecim civitates ad Imperium pertinentes vicinis Principibus ceſſit, Luſatiam Regno Bohemiæ adjecit. Licèt de reliquo Principem ut ſermone affabilem, acceſſu facilem, religioſum, literarum & Literatorum fautorem, Linguarum quoque Italicæ, Gallicæ, Germanicæ, Bohemicæ & Latinæ, Juris quoque peritiſſimum & amantiſſimum fuiſſe memorent, quod non tantùm Aur. Bull. prodit (quid enim fidibus cum graculo) ſed inde ſimul colligitur, quòd Pragæ generale ſtudium inſtituerit, viros doctos aliquando ibi audiens

audiens ad quatuor continuas horas, etiam cum nauseâ suorum Officialium & Aulicorum. In omnibus autem negotiis ad manus liberaliter habuit Bartolum de Saxo ferrato illius ætatis Juris peritissimum, cujus operâ semper usus est, ut Bartolus de se testatur, *in Extravag. ad reprim. in princ.* Hoc addo, quòd propriâ manu Caroli Aut. Bull. composita dicatur: nam Bartolus anno compositionis Bullæ jam obierat; mortuus autem Carolus primùm fuit anno Christi 1419.

Annotatio II.

Utrum decem civitates Imperiales in Alsatiâ, non obstante alienatione factâ à Ferdinando III. Cæsare in favorem Coronæ Galliæ, retineant jus & titulum immediati Statûs Imperii, maneántque exempta à Superioritate Coronæ Galliæ.

BRisacum munitissimum Imperii Romani fortalitium superioribus annis a Ferdinando III. Imperatore amore pacis publicæ obtinendæ unâ Landvogteia super decem Imperii Civitates

vtates Hagenau / Colmar / Schlettstatt / Weyssenburg / Lindau / Oberehen / Rosheim / Münster in St. Gregori Thal / Kaysersberg / Türckheim; Sed salvâ suâ immedietate respectu Imperii Regi Galliarum consignatum fuit, vigore cujus immedietatis, prædictæ decem Civitates etiamnum ad Comitia Imperii Universalia vocantur, sessionem ac votum ibidem habent, ex quibus immedietas Imperii status probatur. *Sixtin. de Regal. l.* 1. *cap.*4 *n.* 84. *Recess. Imp.* 1594. §. Und damit / & rem extra omne dubium ponit Leopoldina Capitulatio *in art.* 8. ibid. So dann die 10. Vereinte Reichs-Städt im Elsaß / ausser deß Juris Præfecturæ Provincialis, Krafft Instrumenti Pacis &c.

ANNOTATIO IIII.

An Imperium Romanum Alsatiam cum pertinentiis, Instrumento pacis extortam, à Coronâ Galliæ repetere possit?

I. QUidam pro parte affirmativâ quædam argumenta afferre conantur.

II. Primum est, quia illicita pacta servari non debent, *c.* 5. *caus.* 22. *q.* 4. Etiamsi jura-

mento confirmentur, *c.* 18. *ext. de Jurej.* Atqui pacta, quæ tendunt in Romani Imperii diminutionem, illicita sunt, cùm fiant contra salutem publicam Imperii *L.* 5. *C. de LL.* ergo non sunt servanda.

III. Secundum, quia quod vi aut metûs causâ gestum est, id ratum esse non debet, sed rescindi potest. *L.* 1. *ff. quod metûs caus. c.* 2. *de his, quæ vi metúsve causâ.* Atqui in casu præsenti supponimus, quòd pax ab hoste aliter obtineri, & majus malum evitari non potuerit, quàm si in ejus satisfactionem Provinciæ integræ traderentur, consequenter metu id factum, adeóque rescindendum esse, ratio ipsa videtur dictare. *Molin. de Jur. & Justit. Tr.* 2. *n.* 326. Lessius *de Jur. & Just. l.* 2. *c.* 17. *dub.* 6. *n.* 38.

IV. Tertium, quia quemadmodum Principis lex vim suam amittit, si mutatis rerum circumstantiis incipiat esse Reipub. noxia. *Can. Consuetudo D.* 1. Ita & videtur asserendum de pactis, quibus ea inest conditio, si res in eodem statu pemanserit.

V. Quartum, quia irritum est pactum, vel saltem revocabile, ubi de tertii præjudicio agitur,

tur, vel ſuperioris authoritas requiſita non interceſſit. *L. 7. C. de præd. min. c. 1. de reb. Eccleſ. non alienand. in* 6. Nam res inter alios acta tertio non præjudicat; Atqui in hujusmodi pactis de præjudicio Imperii, quod membra amittit, nec non Summi Pontificis, ac Eccleſiæ Romanæ agitur, dum Majeſtas & potentia Supremi Advocati Imperatoris tali modo nimimùm debilitatur; per conſequens, quemadmodum Summus Pontifex ex plenitudine poteſtatis Principes Chriſtianos à juramento, ubi Fœdus in præjudicium Eccleſiæ Romanæ fecerunt, abſolvere poteſt: ita multò magis id ipſum in noſtro caſu aſſerendum videtur; cùm non de temporali, ſed perpetuo impedimento agatur.

VI. Quintum eſt, quod Imperator legibus ſolutus vivat, adeóque ad repetendam Provinciam Alſatiæ nullum ſubſit impedimentum, niſi velimus dicere Imperatorem dicis gratiâ Auguſtum allzeit Mehrer deß Reichs dici; cui nequidem vi extorta revocandi Jus competat.

VII. Sed his opponunt ſe Galli, ſibique perſuaſum habent, ubi Princeps bello victus ad obtinendam pacem Victori cum conſenſu Sta-

tuum certas Provincias dederit, quòd ipse vel ejus Successor eas nullo Jure revocare possit, modò alter promissis stet: frustrà enim sibi fidem postulat servari ab eo, cui fidem à se præstitam servare recusat, alioquin iniquissima esset conditio partis alterius, si alteri parti fidem violare concederetur, alii verò denegaretur, cùm in contractibus æqualitas esse debeat.

VIII Confirmant hanc sententiam *primò,* quia pacta Jure Gentium introducta sunt, quod omni humano generi commune est, idque propter necessitatem; quia nisi pacta inter Principes omni modo servanda essent, nulla pax aut Societas inter humanũ genus consistere posset; quamobrem S. Ambrosius *lib.* 1. *Offic. cap.* 29. scripsit: Liquet itaque etiam in bello fidem & Justitiam servari oportere, nec ullum decorem esse posse, si violetur fides. Certè nihil magis naturali æquitati convenire, quàm pacta servare; maximè verò ea custodire debent Principes, quia fidem fallere gravibus viris grave est, gravissimis autem gravissimum. *Gravet. Cons.* 241. *Bald. in L.* 31. *ff. de LL.*

IX. Confirmant *Secundò,* quia utique Principi

pi honestè vivendum est, & ea facienda non sunt, per quæ Majestas Regia patitur, & ipsa Imperia destruuntur: Sed qui fidem datam rumpit, honestè non vivit. Adhæc Regia Persona, ab exteris propter infidelitatem contemnitur, & Deus injuriâ afficitur, quam vindicat. Hinc Aristoteles sæpiùs Alexandrum monuit, ne fidem frangeret, nisi calamitosum rerum suarum exitum exspectare vellet. Carolus V. respondit: *Et si fides toto terrarum Orbe exularet, apud Imperatorem tamen immota manebit.*

X. Ad primum argumentum contrarium respondent Galli, quòd pacta illicita reputari non possint, ex parte jurantis, cùm non peccet promissa servando, necessitas quippe legem non habet, & prudenter procedit ille, qui ad majus malum evitandum, minus eligit.

XI. Ad secundum respondent, quòd metu gravi fit, id voluntarium esse. *L.* 21. *§. si metu. ff quod metûs causâ.* Et inde post se obligationem trahere, *L. fin. C. eod. c.* 2. *de his quæ vi &c.* Maximè verò, si ejusmodi pacto per vim injustam extorto, juramentum accessit, idque ob Divini Nominis reverentiam. *c.* 1. *C. debitores*,

de Jurei. Abb. in c. ult. de pactis in 6. Neque obstat, quòd privati metu ad contrahendum ex æquitate prætoriâ in integrum restituantur, & juramenta extorta vi injustâ à Legitimo Magistratu relaxari possint, *c. 2. cum Glos. Verb. Coactus. de iis, quæ vi &c. c. 2. de pactis in 6. Auth. Sacramenta puberum. c. si adversùs vend.* Quia hæ illationes procedunt, si subditi, qui eidem Magistratui subsunt, metu ad contrahendum compellantur; tum enim, ut pars parti, sic nomine proprio Judex sive Superior supplens factum partis, obligationem metu extortam remittit. *DD. in c. 1. de Jurei.* Hìc autem agitur de pacto, quod Princeps cum Principe absoluto inivit, & juramento firmavit.

XII. Respondent ad tertium, in Principis potestate quidem consistere abrogationem legis, sed non obligationis, quæ ex pacto profluit, quantumvis postea circumstantiæ mutentur, quæ tempore conventionis non extiterunt, aliàs enim nulla unquam securitas in pactis daretur.

XIII. Ad quartum respondent: Licèt vires Imperii minuantur, non tamen propterea Eccle-

Ecclesiam Romanam proximè damnificari, cùm alii Principes Romanam Sedem quoque defendere teneantur.

XIV. Ad quintum denique respondent, Communem opinionem quidem docere, quòd Princeps solutus sit obligationibus, quæ ex civilibus legibus, ut legibus profluunt, sed non obligationibus, quæ ex conventione aut jure divino sive naturali veniunt. *Act.* 5. *vers.* 29. *L.* 3. §. 1. *C. de SS. Trinit. L.* 1. *ff. de pact. Reink. de Reg. sec. L.* 1. *clas.* 1. *c.* 4. *per totum.*

Annotatio IV.

Legati Veneti non minùs humilis, quàm elegans Oratio ad Maximilianum I. Imperatorem, Patavium cum aliis territoriis Imperio Romano per Venetos ademptis vi armata repetentem.

Extat Veneti Oratoris Antonij Justiniani supplex ad Maximilianum I. Imperatorem Oratio apud Francisc. Guiviantin. *lib* 8. *hist. fol.* 753. quæ licèt ob rei gravitatem miro sermonis nitore ac venustate conditam integra inseri hic mereatur, attamen cùm sit aliquantò prolixior, potio-

potiora duntaxat depromere ex eâdem lubet. Minimè verò (inquit Legatus Venetus) inter postremas Laudes id tibi adscribitur, Cæsar, si cùm Victoriam adversus Venetos in potestate tuâ habeas, quàm humanæ res caducæ sint, memor, eâ moderatè uti noveris, magis ad pacis studia, quàm ad dubios belli eventus propensus: quanta enim rerum humanarum inconstantia sit, quàm incerti casus, quàm dubius, varius, fallax, obnoxiúsque periculis sit mortalium status, externis priscísque exemplis ostendere non est opus: satis supérque Veneta Respublica docet, quæ paulô antè florens, splendens, clara, atque ita potens erat, ut eius nomen & fama non in Europæ finibus contineretur, sed egregia pompâ Asiam Africámque percurreret, atque in extremis Orbis terræ terminis magno cum plausu resonaret; hæc eadem nunc unico eóque levi adverso prælio rerum gestarum gloriâ orbata, opibus spoliata, lacerata, conculcata, atque eversa omnium rerum ac præsertim consilio egens ita corruit, ut omnis pristinæ virtutis imago consenuerit, omnísque armorum ardor deferbuerit. Itaque Principis, Senatûs populique Veneti nomine,

mine, humili devotione supplices oramus, obtestamur atque obsecramus, ut clementiæ tuæ oculis res nostras afflictas & deperditas respicere digneris, atque salutarem medicinam afferre. omnes pacis leges, quas tu nobis imposueris, ab æquitate minimè alienas amplectemur. Sed fortasse qui nobis ipsis mulctam imponamus, digni sumus. Ad te verum & legitimum Principem omnia quæcunque majores nostri Sacro Imperio Austriæ Ducatui ademerunt, redeant, quibus, ut decentius vivant, omnia quæcunque in continenti possidemus, adjungimus, quarum rerum juribus quocunque modo partis cedimus. Præterea spontanei tuæ Majestati & legitimis Imperij successoribus in perpetuum quingenta auri pondo tributi nomine pendemus, imperiis, decretis, legibus, præceptisque tuis libenter obtemperabimus. Tuâ istâ Clementiâ conservati, te Urbis nostræ parentem, genitorem, conditorémque appellabimus, ingentia beneficia in annales referemus, liberis nostris perpetuò memorabimus. nec verò parva erit hæc ad tuas laudes accessio, te primum esse, ad cujus pedes Veneta Respub. supplex se humi pro-

ſternat, cui cervices ſupponat, quem velut Deum de cœlo delapſum colat, revereatur, obſervet. Sed ut unde incepit, eò mea revertatur oratio, in tua poteſtate eſt, Cæſar, Venetis tuis ignoſcendo & condonando nomen laudémque comparare, quâ nemo unquam vincendo majorem ſplendidiorémque adeptus eſt. hoc monumentum nulla vetuſtas, nulla antiquitas, nullus temporum curſus ex mortalium mentibus delebit, ſed omnia ſecula te pium, clementem omnium Principum glorioſiſſimum appellabunt, prædicabunt, confitebuntur: nos tui Veneti quòd vivemus, quòd auras cæleſtes carpemus, quòd hominum commercio fruemur, id omne tuæ virtuti, felicitati clementiæque tribuemus.

Ex dictis colligit Bodinus, *de Republica lib. 1. cap.* 9. Si quid Italiæ Civitates pro libertate adipiſcenda Imperio Romano, aut Imperatori ſolverunt, id tributi, aut penſionis nomine ſolutum eſſe.

CA-

CAPUT XIX.

De Jure confirmandi pacta successoria inter Status Imperij.

1. STatus Imperij (inquit Beckerus *in Synopſ. Jur. publ. lib.* 3. *c.* 4.) circa ſucceſſionem in ſuis territoriis quædam habent ſingularia. Alij liberos tantùm maſculos habent ſucceſſores, alij quoque filias, alij ſolum primogenitum. Vigent & certa inter illuſtres aliquot familias pacta ſucceſſoria, Germanicè Erb-Verbrüderung/ vel, ut alij, Erb-Vereinigungen: quorum vigore intermortuâ unâ ſtirpe, feuda non ad Imperatorem, aut Imperium, ſed ad confratrem devolvuntur. *Lymnæus de Jur. publ. lib.* 4. *c.* 8. *n.* 126. *Ritter apud Arumnæum de Jur. publ. vol.* 1. *fol.* 190.

2. Quamvis prædicta pacta regulariter ſint prohibita, utpote quæ votum captandæ mortis inducant, liberúmque tollant teſtandi arbitrium: valida ſunt nihilominus ejusmodi pacta, ſi ſint Imperatoris conſenſu & conſuetudine firmata. *Arumnæus ad Aur. Bull. diſc.* 6. *theſ.* 6.

3. Tale pactum inierunt Duces Saxoniæ cum

Landgraviis Hassiæ: cui ansam præbuit novennale bellum, quod Henricus cognomento Illustris gessit cum Sophiâ Ludovici Landgravij Hassiæ filiâ, desponsatâ Duci Brabantino. Fuit autem hoc pactum confirmatum à Rudolpho I. Imperatore Anno 1268. *Chytræus in Chronic. Saxon. lib.* 8. *fol.* 534. & Carolo IV. Imp. anno 1370. Deinde etiam ab Imperat. Sigismundo Anno 1431. *Choppin de Doman. lib.* 3. *tit.* 6.

4. Simile pactum successorium fecit Domus Brandeburgica, quod renovatum est inter Augustum Electorem Saxoniæ, Joachimum Electorem Brandeburgicum, & Landgravios Hassiæ Naumburgi ad Salam Anno 1555. de quo vide Sleidanum *lib.* 26.

5. Intercessit etiam hujusmodi pactum successorium inter Duces Saxoniæ Joannem Fridericum III. & Principes Hennebergicos Anno 1554. Kal. Septemb. Cujus effectus subsecutus est Anno 1583. quando familiâ Hennebergicâ intermortuâ Comitatus Hennebergicus ad Duces Saxoniæ pervenit.

Tale denique fuit pactum, quod inter Rudolphum I. Imperatorem & Reges Bohemiæ celebra-

bratum memorat Chytræus *in Chronic. Saxoniæ lib.* 13. Cujus vigore in Alberto Imperat. Austriaço Regnum Bohemiæ ad Archiduces Austriæ pervenit. Wurffbain *in Relat. Hist. in proœm. pag.* 42.

CAPUT XX.

De Jure instituendi & indicendi Torneamenta.

1. TOrneamenta sunt Ludi equestres inventi à Trojanis: unde à nonnullis *Trojamenta* appellantur. Ad quos Ludos non nisi Nobiles & Viri virtute insignes ex quatuor principalibus Germaniæ Nationibus: Bavarica, Suevica, Franconica, & Rhenana delecti admittuntur ex decreto Henrici I. Imperatoris cognomento Aucupis, qui hosce Ludos instituit Anno Christi Nongentesimo Vigesimo primo, & Magdeburgi primùm exhibuit, certisque Legibus confirmavit & Privilegiis condecoravit.

2. Leges Torneamentorum sunt sequentes: quibus diversæ personæ criminosæ ab hoc Collegio & consortio excluduntur.

I. Qui Christianæ Religionis hostis esset, aut [illegible] prævaricator.

II. Qui contra Cæs. Majestatem & Imperium peccasset.

III. Qui Virginem vitiasset, aut viduam oppressisset.

IV. Qui juramento, chirographa, & pacta, manu subscripta, sigillisque confirmata, violare aut negare consuevisset.

V. Qui prodidisset dominum suum, eúmve deseruisset in castris, & militia, vel auctor fuisset datæ in prælio fugæ; suósque subditos injuriosè prægravasset, pressisset, aut interemisset.

VI. Qui homicidium commisisset.

VII. Qui templa expilasset, aut viduas, & pupillos deprædatus fuisset, vel molestasset.

VIII. Qui latro, pirata, prædator, vel sicarius esset.

IX. Adulteri, fœneratores, artifices manuarij, authores novorum vectigalium, aut aliorum Reipublicæ gravaminum: ac denique nobilitatis testimonium non à quarto progenitore habentes.

ANNOTATIO.

An Patricij admittantur ad Torneamenta?

MOvetur controversia à Limnæo & aliis, utrum Patriciis Imperialium civitatum in torneamentis, auff den Thurnieren/ decertare liceat? Respondet Limnæus, eos non indistinctè admittendos omnes, nec reiiciendos unâ decisione, sed potiùs omnes circumstantias, quæ in torneamentis requiruntur, benè ponderandas, & secundùm illas affirmativè, vel negativè, aut cum distinctione respondendum esse. Interim constat, eos tantùm admissos fuisse, qui dicuntur die Adeliche Geschlechter/ hoc est, qui à summo Principe Nobilitatis insignia obtinuerunt. Ita Norimbergæ in duodecimo Torneamento ibidem celebrato, referente eodem Limnæo *de Jur. publ. lib.* 6. *c.* 5. *num.* 48. multi Patriciorum admissi fuêre: quos inter tres præ cæteris palmam, ipso attestante Imperatore, merebantur; adjuncto hoc laudis præconio, eos, si in Aulis Principum ad heroica facta edocti fuissent, meliùs non potuisse peracta peragere. Vocabantur autem illi Georgius Haller, Sigismundus Tuecher,

cher, Joannes Holdschuer. Atque his Imperator Henricus VI. Privilegium confirmavit, partem adauxit (ut loquitur *Crus. Annal. Suevic. lib*. 12. *p*. 2. *cap*. 6.) eósque cæteris Nobilibus, qui montana incolunt, dignitate æquales, & equestrium certaminum participes fecit, dummodo ut antea, sic in posterum quoque à mercatura & cauponaria abstinerent, annuis suis reditibus, commodisque victitantes.

CAPUT XXI.

De Jure Superioritatis, quod habet Cæsar in Personas Ecclesiasticas, easque Principales.

NOn modò seculares, sed etiam Ecclesiastici Principes immediatè Imperatori & Imperio subjecti sunt; idque ratione regalium, Privilegiorum & beneficiorum, sive bonorum feudalium, quæ ab Imperatore & Imperio habent & recognoscunt: & proinde ab eorum sententiis in causis civilibus, non ad Pontificem, sed Imperatorem, vel Cameram Imperialem appellatur. Quòd autem Prælati ratione temporalium domi-

dominiorum, quæ à Cæſare habent, Principes, vel Comites eſſe poſſint, & per conſequens ſuæ Majeſtati perinde atque ſeculares Principes, ſubjecti ſint: Notant etiam Canoniſtæ *in c. Romana, §. debet, de appellat, in 6. Philip. Franc. ibid. num.* 2. *& in c. cæterùm, de judic. gloſſ. in c. ſolita, in verb. ſuſcipiunt, de major. & obedien. Caſtr. in L. ſi quando, C. de appell. num.* 2. *Bartol. pulchrè ibid. num.* 3. *idem præclarè in L.* 1. *§. ſi quis, num.* 14 *ff. eod. tit.* ubi dicunt, quòd ratione talium dominiorum appellandum ſit ab Epiſcopo ad Imperatorem.

CAPUT XXII.

De Jure Superioritatis, quod habet & exercet Imperator in quædam Collegia Canonicorum.

SUnt nonnulla Canonicorum libera Collegia, quæ immediatè Imperatori & Imperio in civilibus ſubjecta ſunt: unde appellantur die freye Käyſerliche Stüffter / cujusmodi eſt Collegium Canonicorum Bruxellæ in Brauthein/ item Burſchedt propè Aquisgrânum, & Collegium in

Arnvel/ propè Sarbrücken / quia in Camerâ recte conveniuntur. *Ita multi processus decreti sunt contra dictum Collegium Bruxellense: similiter super constitutione pignorationis obtenti sunt processus ad instantiam dicti Capituli sive Collegij,* Burscheidt *contra* Aach. *Item in causâ Decani & Capituli S.* Arnvel / *contra Comitem Joan. à* Nassau.

CAPUT XXIII.

De Jure præter vellus aureum, etiam aliorum Equestrium Ordinum insignia gestandi.

SUscepturus Ordinem Aurei Velleris, debet priùs renunciare omnibus aliis Confraternitatibus & Sodalitatibus aliorum Principum, Civitatum, Sociorum &c. Excipiuntur tamen Cæsares (imò & Reges ac Duces) quibus permissum est aliorum insuper Equestrium Ordinum symbola & insignia deferre. *Guicciardinus in descriptione Belgij.*

CA-

CAPUT XXIV.

De Jure Dignitatem Electoralem, & conferendi, & auferendi.

IMperatori competere Jus Electoratum & conferendi & adimendi, facto ipso comprobatum est, quando Ferdinandus II. Cæsar Dignitatem Electoralem re cum Electorali Collegio communicatâ, accedente consensu Pontificio, cum omnibus annexis Juribus, utpote ob Friderici Comitis Palatini proscriptionem, proximioribus agnatis exclusis, ad S. Cæsaream Majestatem vigore Juris communis Feudalis, Aureæ Bullæ, & Constitutionum Imperialium devolutam, ex certâ scientiâ & motu proprio, ob præclara & gloriosa in Rempublicam Catholicam, & Romanum Imperium, ipsúmque Cæsarem merita, Maximiliano Bavariæ Duci, Moderni Electoris Avo, non tam contulit, quàm ante collatam reddidit: ut veluti postliminio hæc Dignitas in eum statum ac locum, à quo temporum injuriâ trecentis ferè annis exulaverat, reversa sit. Nam jus Electionis, & Archi-

dapiferiæ (ſi vera ſunt, quæ tradit Gewoldus in Antitheſi ad Freherum) Ducibus Bavariæ, ut Bavariæ Ducibus, non ut Comitibus Palatinis, olim & ſemper competiit.

CAPUT XXV.

De Jure, quod habet Imperator, conſtituendi tutorem Electori impuberi.

SI Electore Romani Imperij mortuo, moriatur etiam primogenitus, & illius primogeniti demortui filius impubes necdum ejus ætatis ſit, ut Electoratum adminiſtrare poſſit, tunc Imperator habet jus mandandi, ut Frater Senior ejusdē primogeniti tutor & adminiſtrator ſit, donec legitimam attigerit ætatem. *Aur. Bull. c.7.* Et licèt Pater in teſtamento alios nominet tutores, per hoc tamen proximorum agnatorum juri non derogat, cùm Lex Imperij, quæ accedente Electorum ac Principum conſenſu lata eſt, tutelam & adminiſtrationem propinquiori deferat Agnato. *Beſoldus de ſucceſſ. & Elect. lib.* 3. *diſſert.* 4. *Arumæus ad Aur. Bull. Diſc.* 4. *Theſ.* 10. *& ſeq.* Jus autem illud

illud agnatus proximus sine facto suo non amittit. Et quod quis ex Lege habet, id ei per testatorem adimi, aut interverti non potest. *Jason in L. Nemo potest.* 55. *Lect.* 2. *num.* 33. Accedunt in confirmationem luculenta exempla. Inprimis enim Ludovici IV. Electoris Palatini Frater Fridericus, contra testamenti dispositionem, Philippi demortui Electoris filij tutelam suscepit Anno 1449. Adhæc mortuo Ludovico V. Electore Palatino Anno 1583. Joannes Casimirus ejus Frater, non attentâ dispositione testamentariâ, tutelam Friderici IV. administravit.

CAPUT XXVI.

De Jure Cæsaris, quo Is controversias Imperiales ex plenitudine potestatis decidere potest.

AD feliciorem de propositis negotiis, in Comitiis publicis, consultationem Status S.R.I. in tres classes se dividere solent. Prima est Electorum. Secunda est Principum, Prælatorum, Abbatum, Comitum, Baronum. Tertia est Civita-

vitatum Imperialium. Et si tres istæ Statuum classes in votis ac sententiis proferendis convenire nequeant, & singulæ singulas tueantur sententias, tunc res ad Imperatorem deferri, ejúsque arbitrio committi solet, qui eam plenitudine potestatis decidit; ut sufficienter declarat Recessus Imperij *de anno* 1544. *vers.* **Als wir aber in der Handlung/ ꝛc.** Unde cùm Carolus V. in Comitiis Spirensibus Anno 1544. Status Imperij discrepantes in concordiam redigere frustrà niteretur, Status controversiam Imperatorio Decreto definiendam esse censuerunt. Idem factum sub Ferdinando I. Rege Rom. & Imperatoris Caroli V. Vicarij in Comitiis Augustanis Anno 1555. cùm inter Principes Catholicos & Protestantes dissensio oriretur, quid de Episcopatibus, Archiepiscopatibus &c. quos illi tenuerunt, qui à Regione Catholicâ ad Lutheranam defecerunt, statundum esset.

CA-

CAPUT XXVII.

De Jure uniendi, dividendi ac separandi Provincias Imperij.

UNire, dividere ac ſeparare Provincias, Supremi Principis juribus rectè à quibusdam accenſetur, *Paul. de Caſtr. conſ.* 117. *n.* 3. *vol.* 2. *Martin. Laudens. de Principe q.*10. *Marc. Mantica. conſ.* 11. *n.* 1. Qui ſcripſit Imperatoris proprium eſſe, unire ſeparata, & unita ſeparare. Ita olim Fridericus II. Imperator Civitatem Braunſchweig/ & Caſtrum Lüneburg cum omnibus pertinentiis ſuis menſe Auguſto Anno 1235. univit. Ita etiam patrum noſtrorum memoria 21. Junij Anno 1559. Ferdinandus Imperator Illuſtriſſimo Duci Juliacenſi Privilegium unionis indulſit. Das Hochg. Hertzogliche Fürſtenthum der Lande Gülich/ Cleve/ Bergh/ Marck vnd Rauenſperg/ ſo lang die Succeſſion S. F. G. Erben von Ihrer Poſterität in abſteigender Linien wåhren vnd verhanden ſeyn werden/ zuſammen uniret/ vnd gäntzlich beyeinander vngeſondert vnd vnzertrennt bleiben ſollen.

CA-

CAPUT XXVIII.

De Jure Immedietatis in Imperio, von der Reichs-Immedietät: *ratione cujus Cæsari jus immediatæ Superioritatis competit.*

IMmediatus Imperij dicitur, qui nullius alterius, quàm Imperatoris & Imperij Jurisdictioni subjectus. *arg. cap. ex parte* 13. *de Privileg. Clem. un. verf. ceterùm. de jurej.* Sola autem immedietas, **daß einer vnmittelbar dem Reich vnterworffen ist /** ad inducendam Statûs Imperij qualitatem non sufficit, ut patet exemplo Equestris Ordinis Imperij: nam Equites isti sunt Immediati, non tamen sunt Status Imperij. Superioritas autem territorialis in solos immediatos cadit. *Knipschild. de Jur. & Privileg. Stat. Imper. lib.* 2. *c.* 5. *num.* 64. Potest tamen immediatus respectu certorum bonorum etiam Landsassius esse, *Knipsch. d. tr. L.* 1. *c.* 3. Et immedietas etiam sine territorio subsistit. *Idem L.* 1. *c.* 3. *num.* 108. Ceterùm probatur *Immedietas* inter alia diplomate

mate Cæſareo, famâ & communi opinione, præſcriptione, item ex inſigniis, & omnibus argumentis, quibus jus Statûs probatur. Vid. Knipſch. *d. tr. L.* 1. *c.* 12. *num.* 21. *&* *ſeqq.*

CAPUT XXIX.

De Jure quo Imperator nundinas ſive mercatus generales civitatibus concedere ſolet.

JUs concedendi nundinas ſive mercatus generales (quales ſunt: Francofurtenſes, Lipſienſes, & Naumburgenſes) olim à Senatu Romano dependebat, hodie ſoli Imperatori competit, *L.* 1. *ff. de nundin. L. unic. C. eod.* quod tamen inauditis vicinis Civitatibus non facilè conferri ſolet, *Gail.* 2. *obſervat.* 69. *num.* 25. *qui præced. num.* 24. *ſubiicit ſequentia:* Hinc eſt (inquit ille) quòd multæ civitates Imperiales Privilegia ab Imperatoribus obtinuerunt, ut videlicet nemini liceat intra unum, vel duo milliaria propè civitatem caſtrum ædificare, vel nundinas, aut mercatum aliquem inſtituere: nam non ſolùm æ-

mulatio in ædificiis, ſed etiam aliis rebus, quæ ad alterius injuriam pertinent, conſiſtit. Quapropter, ſi novæ nundinæ à vicino quodam Domino propriâ auctoritate ſubditis ſuis permittantur: hoc ad æmulationem alterius, & vicinorum locorum fieri intelligitur, & ideò probè à vicinis prohiberi poteſt, ne hoc faciat. Hinc eſt, quòd Imperator nunquam conſueverit, ut ſupra inſinuavi, alicui dare Privilegium nundinarum, niſi prius adjacentibus & vicinis civitatibus, & pagis, quorum intereſſe poſſet, auditis, *facit ad hoc text. in L. nec avus, C. de emancip. lib.*

CAPUT XXX.

De Jure inſtituendi Montem ſimilem Monti pietatis.

IMperator, vel alius Supremus Princeps, indigens pecuniis causâ belli, vel aliâ de causâ, licitè poteſt inſtituere Montem ſimilem Monti pietatis, cogendo ſubditos ad dandas ſibi pecunias, hâc lege, ut donec illas reſtituat, ſolvat quin-

que

que vel sex pro centum, reservatâ sibi facultate restituendi singulis creditoribus sortem principalem, & relictâ ipsismet creditoribus libertate vendendi jus, quod habent ad illam pensionem à Principe vel Republicâ exigendam. Ratio est; quia nihil est hic aliud, quàm census fundatus in bonis vel redditibus annuis, antiquis vel novis ipsius communitatis vel Principis: & per hoc differt à monte pietatis, quòd mons pietatis sit institutus ad sublevandam pauperum egestatem traditâ mutuo pecuniâ: hic verò mons erigitur ad commune bonum, seu ad subveniendum necessitati, quâ Princeps vel Respublica detinetur. Conditiones talium montium sunt, quales requiruntur in censibus, de quibus vide Azorium *p.* 3. *lib.* 10. *cap.* 24. *de censibus.*

CAPUT XXXI.

De Jure tacitæ dispensationis cum personâ inhabili ad actum, ad quem ab Imperatore admittitur.

IMperator, & omnis Princeps supremus, scienter admittens aliquem ad actum, qui ha-

bet impedimentum ad illum, censetur dispensare cum illo: quia ad valorem dispensationis in Lege humanâ non requiritur causæ cognitio, sed satis est voluntas ejus ad dispensandum; quia verò scientia Principis minimè præsumitur, cùm sit quid facti, ad inhabilem pertinet eam probare: idem dicendum de inferiore admittente ad actum contra Legem propriam, vel contra Jus, in quo potest dispensare. *Navarr. prælud.* 9. *n.* 14. *Azorius tom.* 1. *L.* 5. *c.* 15. *q.* 10. *Reginald. L.* 13. *n.* 195.

CAPUT XXXII.

De Jure religiones heterodoxas tolerandi.

I. AD hoc ut Imperator aliíque Principes Christiani titulum Defensoris Fidei ac Religionis mereantur, non est semper necessarium ut heterodoxas religiones, earúmque Sectatores ex ditionibus suis eijciant, & proscribant, ut bene observat Becanus in Manuali Controversiarum fidei, ubi notat hæc duo valde distincta esse. I. Imperator vel alius Princeps Catholicus concedit

cedit ſuis ſubditis, ut fiant hæretici; vel introducit hæreſin; vel introductam confirmat & ratam habet, vel alio quocunque modo poſitivè in eam conſentit & cooperatur. II Princeps Catholicus ſolùm permittit ſeu tolerat hæreticos in ſuâ Provinciâ. Prius nullo modo licitum eſt, quia hæreſis eſt peccatum, & quidem majus peccatum, quàm furtum, homicidium, adulterium: At Princeps nullo modo poteſt concedere ſuis ſubditis, ut fiant fures, homicidæ, adulteri; neque poteſt introducere hujusmodi peccata in ſuam Provinciam; neque introducta confirmare, & rata habere; neque alio quocunque modo poſitivè in ea conſentire & cooperari: Ergò idem de hæreſi dicendum eſt.

II. De poſteriori quæſtio eſt, quam hoc loco diſputamus, an ſcilicet Princeps in aliquo caſu poſſit permittere, ſeu tolerare hæreſim in ſuâ Provinciâ, in quâ Catholici & hæretici permiſti ſunt? A nonnullis id abſolutè negatur: quorum rationes & fundamenta apud Becanum citatum videantur. Alij rectiùs ſentiunt, Principem in quibusdam caſibus poſſe permittere hæreſim; in quibusdam non poſſe. Ac primò cer-

 tum

tum est, posse permittere, quando non potest impedire; ut si in aliqua civitate, vel Provinciâ sint multo plures & potentiores hæretici, quàm Catholici; & sint tam pertinaces, ut non possint, nisi vi coacti, ab exercitio cohiberi. Quid faciat tunc Princeps? Non potest eos vi cogere, quia non est satis potens. Nec alius occurrit impediendi modus, cùm sint pertinaces. Igitur tolerandi sunt, quamdiu aliter fieri non potest.

III. D. Thomas *in 2.2. quæst. 20. artic. 11.* addit alios duos casus. Unus est, quando ex permissione speratur majus bonum. Et hoc modo etiam Deus permittit, non solùm hæresim, sed alia omnia peccata, quæ in hoc mundo fiunt; quia potest inde majus bonum elicere, juxta illud Gen. 50. *Vos cogitastis de me malum*, (inquit Joseph ad fratres suos) *sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, & salvos faceret multos populos*. Unde S. Augustinus in Enchiridio cap. 27. *Melius judicavit de malis bene facere, quàm mala nulla esse permittere*. Alter est, quando ex permissione evitatur majus malum, quod aliter evitari non potest; ut si Princeps Catholicus vellet quidem impedire, vel coërcere hæreticos

in

in suâ Provinciâ; sed si tentaret, ipsi cum vicinis populis & Principibus hæreticis impetu facto Catholicos opprimerent, & eorum exercitium abolerent. Tunc enim consultius esset permittere seu tolerare hæreticos permixtos cum Catholicis, quàm cum tanto dispendio & jacturâ illos irritare.

CAPUT XXXIII.

De Jure conservandi in Imperio pacem publicam.

I. Jus conservandi pacem publicam in Imperio Romano-Germanico, ejúsque salutem contra omnes adversos casus defendendi, nulli magis convenit quàm Imperatori, *text. in L. nam salutem, ff de offici. Præfect. Vigil. text. in c.* 1. *de prohibiti. feud. alien per Frideric.* Hinc est, quòd felicissimæ Recordationis Imperatores, Maximilianus I. Anno 1495. Wormatiæ, & Anno 1500. Augustæ, Carolus V. Anno 1521. Wormatiæ, Anno 1522. Norimbergæ, Anno 1548. & 1551. Augustæ, Ferdinandus Anno 1555. Augustæ, Item Maximilianus II. 1566. Augustæ, Anno 1570. Spi-

ræ, & poſtremò 76. Ratisbonæ, paternâ ſolicitudine, conſentientibus Statuum, & Ordinum Imperij votis, proavorum, avorum, patrum, & noſtra memoria ſaluberrimam, adeóque iſtis exulceratiſſimis temporibus planè neceſſariam de pace publicâ Conſtitutionem (auff den Land-Friden) promulgârunt.

II. Imperator habet jus violatoribus pacis publicæ irrogandi pœnam proſcriptionis, quæ eſt pœna capitalis, vocatúrque Bannum Imperiale, daß derſelben Leib vnd Gut/ Allermänniglich erlaubt ſeyn/ vnd niemand daran frävelen/ oder verhandlen könne oder möge / hoc eſt, quod aqua & igni ipſis interdictum ſit, & ab omnibus impunè offendi poſſint, prout prolixiùs continetur in ipsâ Conſtitutione, *Titul.* 4. & *Ordinatione Cameræ Imperialis part.* 2. *tit.* 9.

CAPUT XXXIV.

Jus erigendi in Imperio ſuprema Tribunalia ſive Judicia.

I. IN Imperio Romano-Germanico conſtituta ſunt ab Imperatoribus varia Judicia ſeu tribuna-

bunalia. Inter quæ primaria sunt tria Judicia Prætoria Suprema: scilicet Aulicum, der Reichs-Hoff-Rath; Spirense (quo unico Natio Germanica rectiùs gubernatur, quàm Gallia multis Parlamentis) ac demum Rottwilense, à Conrado IV. Imp. institutum.

II. Sunt & alia Judicia subalterna in Germania, videlicet Westphalicum, das Frey-Gericht: cujus modicus, vel nullus hodie est usus. Item Judicium Provinciale Hagenoæ, Judicium Provinciale Burggraviatus Norinbergici in Anspach, Judicium Regium in Weingarten/ Judicium Provinciale Sueviæ, Judicium Franconiæ Herbipolense: à quo ad Episcopum Herbipolensem, ut immediatum superiorem appellatur; à reliquis verò ad Cameram Imperialem, vel Judicium Imperiale provocari posse, testatur Wehner *de modo appellandi, præjudic. Camer. c. 8.*

III. Prioribus Tribunalibus sive Supremis Judiciis accenseri etiam possunt Austregæ, quæ sic definiuntur: Sunt Judicia, in quibus certorum Ordinum Imperialium controversiæ in prima Instantia, juxta formam & modum Ordinationis Imperij, examinantur & deciduntur.

CAPUT XXXV.

De Jure augendi numerum Electorum Imperij.

LIcèt Maximilianus I. Imperator aliquando Electores pertentârit, ut Jus suffragij in Electione, Austriæ Archiducibus communicarent, nihil tamen effecit. Hodiè verò ex novissimâ Pacificatione Monasteriensi, & secuta diæta Ratisbon. Octavum Electorem habemus, illis verbis: Imperator cum Imperio publicæ tranquillitatis causâ consensit, ut Carolus Ludowicus Comes Palatinus Rheni, juxta ordinem succedendi in Aureâ Bullâ expressum, eo jure fruatur, ita tamen, ut quia Domui Bavaricæ dignitas Electoralis etiam concessa est, si contigerit Lineam Guilielminam masculinam prorsus deficere, superstite Palatinâ, cum Palatinatu superiori dignitas Electoralis, quæ penes Bavariæ Duces nunc est, ad superstites Palatinos redeat, Octavo Electoratu tunc prorsus extinguendo. *§. cum a. d. Inst. pac.*

CA-

CAPUT XXXVI.

De Jure independentiæ à factis & exemplis Antecessoris.

FActum vel exemplum Imperatoris prioris non stringit Imperatorem posteriorem. Nam Princeps, qui Jure Electionis succedit, Antecessoris factum præstare non tenetur, ideò præcisè, quia antecessoris factum est, nisi aliunde illud præstandi sit obligatio. *Reinck. de Reg. Sec. & Eccl. lib.*1. *class.*3. Esset autem obligatio, si factum Antecessoris esset perniciosum: tunc enim Successor mutat. 63. *dist. cap. quia tamen, §. verum.* Similiter potest etiam Successor retractare contractus factos à Prædecessore, si sint facti absque solemnitate, vel contra Jus. *De rerum permutatione, cap. ut commutationes.*

CAPUT XXXVII.

De Jure prohibendi ne quis subditos alterius in patrocinium suscipiat.

I. HOc Jus Imperatori competere indubitatum est, cùm constet hujusmodi patro-

cinia de facto Legibus Imperij prohibita esse, ut patet ex Aureâ Bullâ Caroli IV. *tit.* 16. Reichs-Abschid *de Anno* 1529. §. Wir auch Chur-Fürsten / Prælaten ibi: deßgleichen keiner deß andern Unterthanen vnd Verwandten deß Glaubens/vnd anderer Sachen halber/ in sondern Schutz vnd Schirm wider ihre Obrigkeit nehmen sollen vnd wollen. Reichs-Abschid de Anno 1555. §. Es soll auch kein Stand ibi: wider ihre Obrigkeit in Schutz vnd Schirm nehmen. Hinc quoque in prætactâ causâ Mayntz contra Erfurth correferens judicavit pronunciandum esse, daß Raths-Meister vnd Rath dero Statt Erfurth nicht gebühret noch gezimet habe/ so vil die Statt Erfurth/ dero Einwohner vnd Burger belangt/ die Chur- vnd Fürsten zu Sachsen zu Erb-Schirm auffzunehmē / uti refert compilator Symphorem, supplicat Camer. Imperial. *p.* 1. *tit.* 2. *vol.* 1. in causâ secundæ conventionis.

II. Prædictam Advocatiam Princeps cordatus & prudens cum authoritatis suæ diminutione non facilè concessurus est: tum quòd Protectorum potentiâ subditi insolentiores erga Dominos evadere soleant: tum quòd Exteri Jure clientelæ non raro abutantur, extendentes illud ad quæstum, & clientes subditorum Jure censentes,

sentes, cósque bonis clientelæ subjectis, infidèlitate commissâ privari posse credentes. Beckers in Synopsi Juris publici. *Lib.* 3. *c.* 4.

Annotatio Unica.

Insignis imprudentia populi, patrocinium potentioris Principis vel petentis, vel admittentis, ingenioso Apologo declaratur.

STesichorus ostensurus Hymerensibus, inconsultè ab ipsis protectionem Phalaris potentioris Principis admissam esse, hunc Apologum commentus est. Equus, ait, pristinâ adhuc libertate in pratorum viridantium spatiosâ amœnitate fruens, nullíque jugo, aut habenæ obnoxius, dolebat infesta suis pascuis cervorum agmina imminere, & optimos quósque bolos præcerpere. Quare submovendi hujus consortij avidus hominem adit, orátque adversùs cervos, ut sibi præstet suppetias. Non detrectat homo. Itur in consilium, quo pacto id impetretur, ne tam impunè deinceps in pascua equorum irrumpant cervorum agmina? ac denique placuit, ut armatum suis hominem telis equus in dorsum acciperet, atque habenas ore admitteret, quo

consultam ab homine viam directus ipse à prudentiore Magistro capesceret. Ita adversùs cervos felici expeditione processum est, partim fugatis, partim in prædam abstractis feris. Sed equo deinde pristinam libertatem repetenti, negavit homo id sibi fas videri: æquum enim esse, ut qui tam utilem equo navâsset operam homo, rursum equi operâ ad suum commodum fruatur. Unde sub admissis inconsultè habenis equo imposterùm serviendum fuit; exemplúmque posteritati reliquit, non facilè potentioris Domini opem, nisi admodùm circumspectè, admittendam esse.

CAPUT XXXVIII.

De Jure nobilitandi, sive creandi Reges, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles &c.

I. INter præcipua Jura Majestatis Cæsareæ refertur Jus creandi Magistratus, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles &c. Et sanè, quòd Reges debeant accipere Coronam de manu Imperatoris, tradit Martin. Laudens,

Laudens. *de Principe q.* 130. Pacian. *lib.* 2. *de probat. c.* 35. *n.* 66. Cùm omnes dignitates à Principe procedant. Ita à Julio Cæsare Covarinus apud Senonas fuit Rex constitutus. *Cæsar. lib.* 5. *de bello Gallico.* Ita Nero Tiridatem Armeniæ Regem in Urbe Româ maximo cum fastu ac pompâ, imposito ipsi diademate, creavit. *Sueton. in Nerone c.* 13. Sed & Sigismundus Imperator voluit Ducem Lithuaniæ creare in Regem. *Cranz. lib.* 11. *Vandal. c.* 22. Cuspinianus *in Austria.* De Canuto & Petro Daniæ Regibus à Lothario & Friderico I. creatis. Testimonium perhibet Comes Adolphus Clivensis à Sigismundo Imperatore in Concilio Constantiæ 28. April. Anno 1417. in Principem atque Ducem, evectus fuit, teste Grantzio *lib.* 11. *Saxon. c.* 1. *in fin.* Fridericus III. Ulricum Comitem Frisiæ Orientalis creavit, *Cranz. d. lib.* 11. *Vandal. c.* 36. *in fin.*

ANNOTATIO I.

Quinam veniant appellatione Nobilium?

Nobilium appellatione generali, etiam Duces, Comites, Barones veniunt. *c. constitutis extr. de testib. c. grandi de supplend. negl. Prælat. lib.* 6. *Tiraquell. de nobilitate, c.* 6. *n.* 51.

ANNO-

ANNOTATIO II.

An Nobilis in uno loco, habeatur etiam pro Nobili in altero?

LIcèt Nobilis in uno Regno, non sit habendus pro Nobili in altero; *Baldus conf.* 387. *col.* 1. *lib.* 1. eò quòd vis indulti tribuentis non excedat territorium, consuetudine tamen receptum est, ut pro tali habeatur. *Anton. Faber in Cod. l.* 9. *tit.* 28. *defin.* 12. *n.* 9. Omnium enim Principum interest, ut singulorum Majestas à cæteris omnibus comiter observetur.

ANNOTATIO III.

An Nobiles sint Liberi à Vectigalibus?

EX antiquissimâ Germaniæ consuetudine, Nobiles à præstatione vectigalium sunt immunes. *Koppen decis.* 61. *n.* 4. *part.* 1. *Bidenbach. quæst. Nobil.* 18. Hanc tamen consuetudinem multis in Locis eviluisse testatur Nolden. *de Nobil. c.*16.*num.*42. Unde Klock *de contribut. conclus.* 38. absolutè docet, quòd Nobiles regulariter à collectarum onere non sint immunes; quanquam id à voluntate Principum, ut plurimùm dependet. Unde Reink. *class.* 5. *lib.* 1. *c.* 4. testatur

Nobi-

Nobiles in Hassiâ ratione illorum prædiorum, quæ ipsi sub curâ & aratro suo habent, à Collectarum onere & præstatione immunes esse, non verò ratione illorum, quos Coloni colunt. Verùm immunitas ista quocúnque demùm modo comparata fuerit, non habet locum, si necessitas, quæ vim Legis solvit, emerserit. *Wintzler de Collect. observ.* 14.

ANNOTATIO IV.

Quinam propriè dicantur Comites Imperij?

NOstris moribus ille propriè Comes Imperij dicitur, qui Comitatum cum sublimi territorij jure, ab Imperatore, vel alio Superiorem non recognoscente, in feudum, vel allodium accepit. *Beckers in Synops. Jur. publ lib.* 3. *c* 8. vel certè tempore immemoriali illud Jus acquisivit: ut Comites ab Oettingen & Zollern/ rc. *Paurmeister. de Jurisd. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 15.

ANNOTATIO V.

An omnes Comites de Comitatu sint investiti?

MUlti sunt Comites, qui de Comitatu non sunt investiti, sed à Castris, quæ possident longo temporis usu, denominationis istius titulos acquisiverunt. *Beckers sup. cit.*

ANNOTATIO VI.

An omnes Comites & Barones habeant suum Comitatum & Baronatum ab Imperio?

SUnt quidam Comites & Barones in Imperio, qui suum Comitatum & Baronatum non habent immediatè ab Imperio; sed sub aliorum Principum ac Imperij Statuum Jurisdictione bona possident, quæ salvo jure eorum Principum, quorum veri sunt Landsassij, in Comitatum erecta fuêre. *Matth. de Afflict. in Tit. quis dicat. Dux & Comes, Col.* 3. *in fin.*

ANNOTATIO. VII.

An Augustæ competat Jus nobilitandi?

AD hanc quæstionem his ipsis verbis respondet Hermes *in Fasciculo Juris publici. cap.* 32. Negativa placet. Licet enim Princeps eadem Privilegia Augustæ tribuat, quæ ipse habet, *L. Princeps. ff. de ll.* & aliàs uxor mariti sui radiis coruscet, & ipsius immunitatibus ac prærogativis gaudeat, *l.* 8. *de senator. l.* 13. *c. de dignit. n.* 150. *c.* 2. *l. fin. C. de nupt.* & sicut Imperator Augustus, ita ejus conjux Venerabilis Augusta vocatur, *L. fin.* 1. *de Usucap.* imò ipse Imperator Justinianus suam conjugem Theodoram Reve-

rendis-

rendissimam vocat *in Nov.* 8. *c.* 1. adeóque Imperatrix suis Augustalibus amicta insigniis, Imperatorem immediatè competenti spacij intervallo suis associata proceribus, suis comitata Virginibus, in publicis deambulationibus subsequi solet; Regina quoque Franciæ tanquam dilecta illi, qui pascitur inter lilia, ceteros quoscunque Galliæ proceres post Regem præcedere solet. tamen non est per omnia idem Principis & Augustæ jus, *d. l. Princeps.* Sed prædicta maximè ad reverentiam, immunitatem, vacationes & si quæ sunt similia, debent referri, non autem ad omnia majora regalia & reservata extenduntur, facit *l. Obligatione, De pignor.* Cùm Jus nostrum in Imperio, ut in Gallia, lex Salica colùm & feminas ab officiis & actibus publicis excludat, *l.* 2. *ff. de R. I. l.* 1 §. *Sexum. de postul. l.* 12. *de Judic.*

ANNOTATIO VIII.

Quinam propriè dicantur Marchiones, & quis eos primùm in hoc gradu nobilitatis constituerit?

I. IN Imperio Romano-Germanico sunt Principes Regali dignitate fulgentes, qui Marchiones dicuntur, vulgò **Marckgraffen** / ex eo

dicti, quòd finibus Imperij tūendis præfecti sint, in iisque jurisdictionem exerceant. *Lymnæus de Jur. publ. lib. 4. cap. 4.* **Marck** enim germanicè dicitur Limes, **Graff** verò significat Judicem. *Besold. dissert. de Comitib. & Baron.* Unde Coloniæ **Gräfft vnd Scheffen** pro Judice & Assessoribus sumuntur, teste Beckers, *in Synops. Jur. publ, lib. 3. c. 8.*

II. Hodiè illi propriè vocantur Marchiones, qui de Marchiâ cum Regali dignitate investiti sunt, vel eam proprio jure possident. *Arumæ. de Jur. publ. 6. tom. 1. disc. 16. Dresan. de superior. territor. Conclus. 6. Lit. e.* Et licet Marchiones non sint ampliùs Duces Limitanei, seu Limitum defensores, ipsis tamen nomen Marchionis de consuetudine remansit. *Petr. Frize in tract. de nobilitat. Thes. 18.*

III. Expeditâ prima parte quæstionis de nomenclaturâ & significatione Marchionis, declaranda superest pars secunda de primis Marchionū Institutoribus in Imperio Romano-Germanico.

IV. Henricus Auceps primùm constituit Marchiones ad fines tuendos, uti refert Cranzius *rerum Wandalicarum lib. 3. c. 6.* Henricus Primus Saxonum Dux (inquit hic Auctor) Au-

ceps

ceps à venandi frequentia dictus, qui expugnato Brandenburgo seu Brenni arce, collocavit in ea Marchionem, qui fines Imperij contra vicinos defenderet. Similiter & in Misnia atque Lusatia Marchiones contra Bohemos creavit; quod antea fecerat Carolus M. in Austria contra Sarmatas, Polonos & Hungaros. *Dresser. in vita Henr. Aucup.* Quamvis etiam postea in Regionibus mediterraneis, complures, nulla habita ratione Limitum, titulum Marchionis consecuti sint. *Heig. Illust. quæst. 2. n. 55.*

ANNOTATIO IX.

Quid censendum sit de quibusdam Nobilibus sive Baronibus cognomento Semperfrey *appellatis?*

BAriones Limpurgici & Westerburgenses, uti & olim Thusani & Aldenwaldenses, titulo Semperfrey condecorati erant, teste Speidelio *in Speculo Notabil. pag.* 364. Reinkingio *de Regim. Secul. & Eccles. Lib.* 1. *Class.* 4. *cap.* 15. *n.* 22. & Paurmeistero: Quare autem Barones Limpurgici & Westerburgenses (quos Comites Leyningenses nunc repræsentant) Semperfrey & vocati fuerint, & etiamnum vocentur, rationem hanc reddit Cluten in Sylloge rerum quotidianarum

th. 26. quòd à tempore antiquiſſimo in dignitate ac prærogativa ſingulari conſtituti, & inter quatuor Imperij Barones, per excellentiam ſic appellatos, numerati fuerint; ex hoc tamen non inferri, quòd præ alliis Baronibus dignitatem Regalem aut Jura Regalia habeant.

ANNOTATIO X.

An ſi Princeps aliquem appellet Nobilem, per hoc ille nobilitetur?

QUamvis Princeps nobilitatem unico verbo conferre poſſit, ſi ita enixè velit, *Zaſius ad L.* 3. *de off. præc.* Si tamen de enixa voluntate non conſtet, & Princeps fortè ex errore Nobilem appellaverit, Nobilis non erit. *Caſtrenſ. Conſ.* 29. *Tiraquel. de Nobilitat. cap.* 6.

ANNOTATIO XI.

An Nobilis, cui in actu Venationis das Waydmeſſer iſt geſchlagen worden / *aut qui in jaculando à ſcopo aberravit*, daß er die Sau überkommen / oder daß er iſt gepritſchet worden / (quem morem à Romanis ad Germanos perveniſſe teſtatur Majolus *dier. Canicular. tom.* 2. *Coll.* 6.) *actione injuriarum agere poſſit?*

REſponſio eſt negativa, quia per Luſum & jocum injuria non infertur, *L.* 3. §. 3. *ff. de injur. Farinac. Lib.* 3. *Pract. Crim. quæſt.* 105.

CA-

CAPUT XXXIX.

Jus Doctores creandi.

IMperatorem etiam solo verbo Doctoralem dignitatem impartiri posse scribunt Mart. Laudens. *de Princip. q.* 207. Petra *de potest. Princip. c.*6. *n.*109. *& seq. fol.* 144. Castald. de Imperat. *q.* 110. *Privil.* 41. Cacheran. *Consil.* 1. *n* 30. Fab. de Anna *Consil.* 44. *num.* 13. Peregrin. *consil.* 84. *n.* 13. *lib.* 1. *& consil.* 3. *num.* 23. *lib.* 2.

ANNOTATIO UNICA.

An Doctores Bullati, ab Imperatore creati, sint magni vel parvi pendendi? ubi de quodam Doctorello ridicula refertur historia.

QUidam eos vituperio, quàm laude digniores esse censent, propter ea quòd sint modicæ scientiæ. Sed hoc universaliter de talibus Doctoribus sine injuriâ dici non potest, etiamsi nullo prævio examine, sive verbali sive Bullari creatione ad dignitatem Doctoralem ab Imperatore promoti sint. Quia inter eos reperiuntur nonnulli, qui multis annis, vel in Academiis publicis, vel in privatis Athenæis sive studiis, quotidianis prælectionibus ac disputationibus publicis, thesiúmq; propugnatione doctrinam suam in eâ Facultate

cultate, in quâ Doctoris titulum ab Imperatore adepti sunt, comprobârunt: qui proinde quoad eruditionem & condignitatem Doctoralis tituli, aliis, qui unicũ tantùm alterúmve examen sustinuerunt, non postponendi, sed anteponendi sunt. Ceterùm non diffiteor, fuisse aliquos nonnunquã exiguâ eruditione præditos, ac proinde Imperiali promotione indignos. Quos nonnemo hisce dicteriis perstrinxit:

In Institutis comparo vos cum brutis,
In Codice scitis modicè,
In Novellis comparamini asellis.
In dem Reichs-Abscheid/
Seyt ihr nicht kommen weit.
Et tamen creamini Doctores:
O tempora! O mores!

JAson apud Chassanæum *In Catalogo gloriæ mundi Part.5. consider.24 num.91.* refert, se aliquando, cùm fungeretur officio Legationis apud Maximilianum I. Imperatorem, vidisse quendam, qui titulum Doctoris in Medicina ab Imperatore postulare volebat: cúmque Illi præsentatus fuisset, dixisse Imperatorem: *Esto Doctor in Legibus*; quo replicante: *Serenissime Imperator cupio doctorari in Medicina*, illico respondisse Imperatorem: *Et in Medicina.* Et sic in utroque Scibili, inquit Jason, fuit Doctor, & non sine causa, quoniam tantum sciebat de uno, quantùm de altero.

TRA-

TRACTATUS II.

Complectens Feuda Regalia, & reliqua Jura, quæ ad Interesse Cæsareum spectant.

CAPUT I.

De Jure cognoscendi feuda Regalia.

I. AD Imperatorem spectat Jus cognoscendi de Feudis Regalibus, vulgò Fahn, oder Scepter-Lehen / immediatè Imperio subjectis, utpote Principatibus, Ducatibus, & Comitatibus, so einem Theil gäntzlich und endlich soll abgesprochen werden / Aur. Bull. t. 5. ibi: außgenommen der Fürstenthum Lehen. *Carol. V. in ordin. de anno* 1521. zu Wormbs / §. Und behalten uns.

II. Jus cognoscendi de feudis majoribus ita proprium est Imperatori, ut ne Cameræ quidem, licèt concurrentem cum Imperatore habeat jurisdi-

Q

risdictionem, competat. *Præd. Recess. Imp. de Anno* 1521. §. Ob auch Sachen fürfielen/ Fürstenthumb/ Graffschafften/ 2c. *juncta Ordin. Camer. p* 2. *tit.* 7. *rub.* Wie vmb Fürstenthumb/ Graffschafften/ 2c. im Recht gehandelt soll werden; *Acta* in Sachen der Fürstlichen Marpurgischen *Succession, in punct. except. incompet. for. in Repl. & Concl.* §. Hierbey ist erstlichen.

CAPUT II.

De Jure majora feuda conferendi soli Imperatori competente.

SOlus Imperator majora feuda, die Fahn-Lehen/ confert. *Gail.* 1. *obs.* 1. *num.* 11. Sic Rudolphus I. Imperator, cùm Anno 1282. deficeret Stirps Austriaca, filium suum Albertum Austriâ infeudavit. Unde Archiducum Austriæ Origo. Wurffbain *in Relat. Hist. pag.* 22. Solus itidem Imperator prædicta feuda adimit; *Schrader. de feud. pag.* 9. *cap.* 4. *num.* 6. cum Consilio tamen Statuum. *Mayer de Jurisd. Sess.* 2. *posit.* 8. *Lit. K.*

AN-

ANNOTATIO I.

Inordinata feudorum appetentia à Christophoro Bavaro Gothorum & Sueonum Rege correcta.

CHristophorus Bavarus, Gothorum & Sueonum Rex, cùm animadverteret proceres regni mutuâ invidiâ flagrare, ut etiam filij viventium patrum præfecturas invitis parentibus & ignorantibus à Rege postulare non erubescerent; ut huic æmulationi mederetur, curavit omni poscenti feudum, confestim, & sine quocunque prævio examine concedi, literásque in promptu expediri, ut imprudens nobilitas tam temerariâ concessione disceret, non decere gratiam alteri collatam præripere, aut revocare. Sed cùm neque eâ industriâ posset hoc malum compesci, voluit ut literæ super concesso feudo conscriptæ tanto auro à Cancellaria redimerentur, quantum vix à toto feudo corradi posset: nec diutiùs ea gratia duraret, quàm alter, datâ majori, aut pari auri summâ, in idem feudum induci postularet. Itaque sæpè uno eodémque tempore complures, datâ ingenti pecuniâ, in idem feudum instituti, nihil fructus ex eo re-

portabant: donec magna eorum pars nec aurum nec feudum, imò nec ullam possessionem reliquam habuit. *Joan. Magerus. l. 22. c. 21.*

ANNOTATIO II.

Quid moribus Galliæ receptum sit circa possessionem feudi, si Vasallus jura feudalia non probet, aut Catalogum rerum feudalium non exhibeat?

CONsuetudine Galliæ receptum est, ut statim avocetur possessio feudi à Vasallo, & in Dominum transferatur, si in probatione jurium deficiat, aut Catalogum rerum feudalium in petenda renovatione investituræ, simul non exhibeat: nam ad confirmandum feudum, duo ex consuetudine Galliæ requiruntur. Primò, jurium feudalium probatio: Secundò, rerum feudalium Catalogus, sive designatio, *uti latè tractat Molinæus in consuetud. Parisiens. part. 1. tit. 1. per totam.* Quod etiam absque Consuetudine juri communi non est contrarium, *per gloss. in L. pen. §. in exigendis, in verbo, jurata, C. quom. & quib. quar. pars, lib. 11. Jason pulchrè in L. 2. num. 173. C. de jure emphyt. Alber. in L. si certis annis, num. 10. C. de pact. Angel. in L. si in rem, n. 6. ff. de*

de rei vendic. Specul. tit. de emphyt. §. nunc aliqua, num. 78. *cum seq.* Ubi etiam tradunt, quæ sit de jure pœna contra Vasallum non exhibentem Catalogum, sive designationem, aut specificationem rerum feudalium, constituta. Certè providi, & prudentes Vasalli non deberent in eo difficiles esse, cùm ex tali designatione, & confirmatione Domini directi, jus feudi robur accipiat, firmiúsque consistat. Sic quoque ex Consuetudine Galliæ, possessio rerum hereditariarum transit in heredem, absque ullâ corporali apprehensione possessionis, *Afflict. decis.* 299. *n.* 4. *Tyraquell. in tract. suo, Le mort. saisit. le vif. in* 6. *declarat. præfationis, num* 5. *part. in L. cum unus, §. fin. n.* 3. *ff. de bon. author. judi. possid. Bald. ad Rub. de causs. possess. & propriè. num.* 13. *& in L. licet, n.* 2. *de acquir. possess. Panormit. in c. cùm venisset, n.* 4. *de restitut. spoliat. Alex. Cons.* 24. *n.* 2. *vol.* 3. *inci. attentis his.* Qui Authores ubique tradunt, valere statutum, vel consuetudinem, quòd possessio in aliquem ipso jure, sine apprehensione, & facto nostro transferatur, *allegant ad hoc L. raptores, C. de Episc. & Cleric. & c.* 2. *consuetud. & ita se habet comunis opinio, attestante Alexand.*

consil. 24. Et hanc possessionem artificialem (quia non consistit in sensu corporeo, nec in organis corporis, sed à Lege absque præsentiâ corporali, creata est) sive civilissimam vocant, cùm nihil in se facti habeat. *Bald. in d. Rubric. de caus. possess. & propriet. n.* 13. *& in L. fin. n.* 8. *in fin. C. de sacrosanct. Eccles. Alex. ubi suprà, Bald. in d. L. traditionib. n.* 15. *in fin. C. de pact.*

CAPUT III.

De Jure feuda aperta re-infeudandi.

VI Juris Majestatis Imperator feuda sibi & Imperio aperta vicissim re-infeudare potest. Aurea Bulla *tit.* 7. §. **Und ob derselben Fürstenthumb.** Et quamvis Interpretes nonnulli, jus hoc re-infeudandi per Capitulationem cum Carolo V. initam, cujus Sleidan. *lib.* 1. meminit, restrictum & succisum arbitrentur; probabiliter tamen defendi potest, Imperatorio juri universali in hoc capite nihil esse detractum, nec per Auream Bullam sublatam. *Rosenthal. c.* 5. *concl.* 12. *num.* 3. qui tamen alibi variat & distinguit.

c. 10.

*c.*10. *concl.* 11. *num.* 11. *&* *concl.* 38. *num* 32. Quinimò nec ipsum Carolum V. in collatione Electoratûs consensum Electorum adhibuisse, testis est Sleidan. *lib.* 19.

CAPUT IV.

De Jure quod habet Imperator, feuda Vasallis concessa contra præscriptionem tuendi.

POtest Imperator restituere in integrũ contra præscriptionẽ feudalem ex capite ignorantiæ, juxta opinionẽ Bartoli *in L.* 1. *§. Si quis de Mans. num.* 5. *de controvers. Investitur.* Quæ opinio communiter approbata est, ut refert Felin. *in d. c. vigilanti, n.* 1. Panormit. *ibid. n.* 3. tamen illã intelligunt Doctores non de supinâ negligentiâ, quæ scientiæ comparatur. *text. in c.* 1. *de postulatio. prælat. & in L. nec supina, & in L. regula est, ff. de jur. & fact. igno.* sed quæ ex probabilibus & verisimilibus conjecturis sumitur, *per notata Panor. in d. c. vigilanti, n.* 3. In longissimâ verò præscriptione feudali scientiæ vel ignorantiæ distinctio non admittitur. *Curt. Conf.* 82 *n.* 2.

CA-

CAPUT V.

De Jure in gratiam Vasalli ex re feudali faciendi allodialem.

POtest Imperator rem feudalem ad petitionem Vasalli, allodialem reddere, ita ut res feudalis pleno jure spectet ad ipsum Vasallum, possitque de eâ pro arbitrio suo, tam inter vivos, quàm in ultima voluntate disponere. Porrò hic notandum est, hujusmodi appropriationem tunc subsistere, si facta sit ultimo Vasallo non habenti agnatos, quia tunc de solius Domini sive Imperatoris præjudicio agitur, qui suo favori citra præjudicium alterius renuntiare potest, *text. in L. si quis in conscribendo, C. de pactis.* Dixi, *si facta sit ultimo Vasallo, non habenti agnatos*; Ceterùm si Vasallus agnatos habeat, dicendum est, talem appropriationem absque consensu agnatorum factam, non valere, per rationem, quòd Dominus & Vasallus pari jure censeantur, *Zas. de feud. part.* 11. *num.* 16. *Afflict. decis.* 265. *num.* 2. *cum seq.* Sed certum est, Vasallum feudum antiquum in præjudicium Agnatorum alienare, aut in alium trans-

transferre non posse, *text. in c. 1. de prohib. feud. alien. per Frider.* Ergo neque Domino hoc permittitur, adeò, ut alienando ipsâ proprietate privaretur, *per text. in c. 1. de forma fidel.* vel saltem alienatio directi dominij, pro infectâ haberetur, *Bald. in c. 2. num. 1. quo temp. miles.*

CAPUT VI.

De Jure impediendi quò minùs per sub-infeudationem dignitas Regalis transferatur in sub-vasallum.

I. TAmetsi feuda, tam Regalia, quàm non Regalia sub-infeudari possint, habet tamen Imperator jus prohibendi, ne per sub-infeudationem feudi Regalis, dignitas Regalis transferatur in subvasallum, sed vasallo nihilominus reverà adhuc annexa maneat, ut maximè subvasallus Provinciam Comitatus, Ducatus & Marchionatus ex sub-infeudatione acquisierit.

II. Vasallus feudum, quod obtinet, sub-infeudare potest, adeò ut etiam non solùm ignorante, & non consentiente, verùm etiam invito Domino id fieri possit. *Rudinger cent. 1. observ. 11. n. 1.*

 III. Sub-

III. Sub-infeudatio non Vasallo tantùm, sed & Sub-vasallo concessa est in infinitum. *Webner in observ. Pract. Verbo* Affterlehen.

IV. Ad sub-feudi alienationem Domini sub-infeudantis consensus est necessarius. *Carpzov. l. 5. t. 5. R. 40. n.* 18. 19.

CAPUT VII.

De Jure concedendi feminæ successionem in feudo.

I. POtest Imperator feminæ concedere facultatem succedendi in feudo, non obstante opinione eorum, qui negant feudum emptum ad feminas quoque transitorium esse, hoc potissimùm utentes argumento, quòd regulariter feminæ in feudis non succedant, *per text. in c.* 1. *§. fin. de success. feud.* etiamsi feudum acceptum sit pro se & heredibus suis, quo casu verbum (heres) pro heredibus masculis accipitur, *text. in d. c.* 1. *§. fin. & in c.* 1. *§. hoc autem notandum, de his qui feud. dare poss.* cujus regulæ rationes quatuor in quatuor feminarum defectibus fundatas potissimùm reddunt Doctores, videlicet hoc

hoc fieri conſiliorum imbecillitate, militarium ſervitiorum incapacitate, arcanorum revelatione, & publicæ honeſtatis reverentiâ.

II. His non obſtantibus, partem affirmativam, videlicet feminas in feudis emptitiis ſuccedere poſſe, idque contractûs magis quàm feudi vigore, docet Afflict. *in c.* 1. §. *& quia, n.* 13. *de his, qui feud. dare poſſ.* Ratio hujus doctrinæ eſt, quòd feudum emptitium non ſit propriè feudum, quia non eſt gratuitum, & ſic non competit ei definitio feudi, *per text. in c.* 1. *in fin. de feud. dato in vicem Legis commiſſ.* ubi dicitur, feudum non ſub prætextu pecuniæ, ſed amore & honore Domini acquirendum eſſe. Unde patet, feudum pretio comparatum, non eſſe benevolam, ſed mercenariam actionem, & per conſequens feudum improprium, quod etiam ad extraneos heredes tranſeat.

Annotatio Unica.

An Feminæ Archiducales in Auſtria ſint capaces Succeſſionis feudalis?

LIcèt de Jure communi feminæ à ſucceſſione feudorum excludantur, *c. un.* §. *hoc autem.*

 Feud.

Feud. l. 1. Nihilominus tamen aliud eſt in Archiducatu Auſtriæ per Privilegium Friderici I. proviſum, quod deficientibus maſculis ſenior Filia defuncti in territorio Auſtriaco ſuccederet, Verba ſic ſe habent:

Wo aber bemelte Fürſten vnerbſam abgiengen / ſo ſoll das Hertzogthumb auff die älteſte verlaſſene Tochter fallen.

In quo nihil contra jura divina vel naturalia peccatur, quia & in terrâ promiſsâ diviſionis feminarum ratio habita fuit, *Num.* 27. & 36. licèt SS. Literis feminis Dominatus ſuper viros non concedatur. *Gen.* 3. *v.* 16. 1. *Corinth.* 14. *v.* 34. 1. *ad Timoth.* 2. & pudor ac verecundia ſexûs requirat, ne ſe cætibus virorum immiſceat. *l.* 1. §. 6. *ff. de poſtul. l.* 21. *C. de procur. c. un. Fol.* 2. *tit.* 36. aut arma tractet hoſtilia, quibus mares defendat. Nihilominus tamen, ut prædictum eſt, quia jus divinum & naturale concedit Domino ſuæ rei, ut de eâ pro libitu diſponere, & conditionem rei ſuæ apponere poſſit, quam velit, nihil refragatur, quò minùs Imperator Legibus ſolutus potuerit Archiducalibus feminis concedere ſucceſſionem in Feudis. *Gail.*

Tract.

Pract. Observ. l. 2. observ. 155. n. 1. tit. 1. §. hoc autem. & tit. 8. § fin. lib. 1. Feudor.

CAPUT VIII.

De Jure nobilitandi Rusticum per concessionem feudi.

I. Controvertitur inter Authores, an si rustico nobile feudum detur, is etiam nobilitatis insignia ex eo consequatur? Doctores quidam censent, si ab Imperatore, Duce, Marchione, vel Comite investiatur, rusticum nobilem fieri: si verò ab alio, nobilitatem non consequi. Ego cum Ludwello sic distinguendum existimo, ut Imperator quidem, si feudum nobile alicui concesserit, reliqui verò Principes, Comites, & qui ab his feuda nobilia habent, non aliter, quàm si partem Feudi sui nobilis per subinfeudationem rustico concesserint, nobilitatem per hoc ei conferant. Nam si non ex Nobili vel Règali suo feudo, sed patrimonio allodiali feudum alteri dederint, nobilis inde non efficitur. Hactenus Ludwellus *in Synopsi feud. c. 6.*

CAPUT IX.

De Jure Superioritatis immediatæ, quod habet Imperator respectu eorum, qui sua feuda non immediatè Imperatori, sed aliis accepta referunt.

HOc Jus ex eo declaratur & probatur, quòd sint antiquissimi Comitatus, qui ultra ducentos, trecentos, quadringentos, quingentos annos, & quidem adeò diu, ut ejus memoria non exstet, Comitatus Imperij fuêre; & nihilominus ijdem Comitatus in feudum procedunt ab aliis Principibus Secularibus vel Ecclesiasticis; Cujus rei illustre exemplum habemus (referente Nicolao Everhardi *consil.* 41. *num.* 85. *lib.* 1.) in Duce & Ducatu Wirtembergensi; Nam ipse Dux est Status Imperij, & Ducatus ejus est immediatè Imperio subjectus: Et tamen Ducatus ille est feudum Serenissimorum Archiducum Austriæ, &c. Sic Comitatus Waldeccensis est feudum Landgravij Hassiæ, & nihilominus Comites respectu istius Comitatûs, quoad subjectionem, Imperatorem & Imperium pro Superiori-

rioribus immediatè recognoſcunt. Sic Comites Holſato-Schaumburgici nonnulla feuda ab Epiſcopatu Mindenſi, quædam à Duce Brunſuicenſi, quædam à Landgravio Haſſiæ titulo feudi tenent, & nihilominus ijdem Comitatus, & Comites immediatè Imperio ſubjecti ſunt.

CAPUT X.

De Jure privandi feudo Vaſallum transgredientem præceptum comminatorium.

SI Imperator præcepto comminatorio ſub pœnâ indignationis rem quampiam juſtam Vaſallo mandâſſet, poſſet eum in hoc caſu obedire renuentem privare feudo, quia verba illa *ſub pœnâ indignationis* hanc pœnam important, uti docet Baldus *in cap.* 1. §. *Porrò, in titul. quæ ſit prima cauſa beneficij amittendi in uſib. feud.* Ubi hanc doctrinam à ſimili confirmans ſcribit in hæc verba: Quando in Literis Apoſtolicis apponuntur iſta verba: *Indignationem Petri & Pauli, & Beatorum Apoſtolorum ſe noverint*

incur-

incursuros; talia verba comminatoria important, quòd inobedientes possint privari suis beneficiis.

CAPUT XI.

De Jure Banni Imperialis, quod Imperator contra nonnullas criminosas, tum Personas, tum Civitates fulminare potest.

I. IN favorem Imperij Romani, & pro illius conservatione institutum est Bannum Imperiale, quod est judicialis censura, quâ violatoribus pacis publicæ aqua & igni ab Imperatore interdicitur, ita ut à nemine in clientelam, fidem, aut amicitiam recipi, ab omnibus verò impunè tam in personâ, quàm rebus offendi possint. Dico (*judicialis censura*) quia ad hoc ut quis Bannitus dicatur, requiritur Sententia declaratoria.

II. Modo prædicto in Bannum Imperij denunciati & declarati, Cives Romani esse desinunt, & communes omnium hostes efficiuntur, quod Germanica dictio Echter/ satis arguit, quàm à Græ-

Græco verbo *Echdros*, id eſt, hoſtis, inimicus, nonnulli derivatam exiſtimant, *facit text. in L. fin. ff. de re milit.*

III. Pœna proſcriptionis ſive Banni Imperialis irrogatur, ſi quis hoſtibus Romani Imperij loricas, ſcuta, arcus, ſagittas, gladios, frameas, veruta, haſtas, ſpicula, tragulas, caſſides, miſſilia, contos, pectoralia, vel humeralia, tibialia, clypeos, thoraces, galeas, tormenta bellica majora & minora, vel alterius cujuscunque generis arma vendat, vel ad eos deferat. Adhæc capitis pœna in eos de jure cōmuni conſtituta eſt, cum publicatione omnium bonorum, *text. in L. 2. C. quæ res exportari non debent.*

IV. Arma in præſenti materiâ dicuntur omnia per quæ nocetur, non ſolùm gladij, haſtæ & frameæ, ſed etiam fuſtes & lapides, *text. in L. 3. §. armis, ff. de vi & vi arm.* Et armatos non utique eos intelligere debemus, qui tela habuerint, ſed etiam eos, qui habent aliud, quod nocere poteſt, *text. in L. armatos, ff. ad Leg. Jul. de vi public.* Sic telorum appellatione omnia, ex quibus homines nocere poſſunt, accipiuntur, *text. in L. penult. ff. ad Leg. Jul. de vi public.*

ANNOTATIO I.

An quilibet habeat potentiam occidendi bannitum?

POsitis & servatis quibusdam conditionibus, unicuique licet bannitum seu proscriptum occidere.

Prima conditio est, ut occidens non sit persona ecclesiastica. Nam licet tales personæ essent immunes à pœnâ temporali, graviter tamen peccarent, quia illis non licet immiscere se in causâ sanguinis, quantumvis justâ, sub pœnâ irregularitatis.

Secunda conditio est, ut id non fiat ex odio aut cupiditate vindictæ, sed publicæ Justitiæ zelo.

Tertia est, ne fiat pendente appellatione, aut extra territorium proscribentis.

Quarta, ut non fiat à banniti parentibus, liberis, uxore &c. tales enim personæ tenentur bannitum alere; ergo non licet ipsis occidere (nisi actualis ille Reipublicæ hostis existat) quia Jus civile naturalia jura non tollit. *Sa Verb. Bannitus. Sotus de Justitiâ lib. 5. qu. 1. Clarus L. 5. Sent. verb. Homicidium.*

ANNOTATIO II.

An licitus sit Usus & Statutum, quo præmium promittitur occidenti bannitum?

Responsio est affirmativa: quia aliquando id expedit communi bono Reipublicæ, ut banñiti, qui Reipublicæ sunt hostes, faciliùs & commodiùs è medio tollantur. Ita Azor. *part.* 3. *lib.* 2. *c.* 2. *q.* 4. Filliuc. *tract.* 29. *part.* 2. *n.* 25. cum aliis pluribus. Sotus tamen *de justit. lib.* 5. *qu.* 1. *art.* 3. & Bonacina *de Contr. d.* 2. *q. ult.* non admodùm probant hunc morem, ob periculum damnationis, cui frequenter exponitur bannitus. Unde secundùm Dianam *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 24. non facilè hæc facultas est concedenda.

CAPUT XII.

De Jure Legitimandi sive dispensandi circa natales.

I. Competit hoc Jus Imperatori, *ex Leg. qui in Provinciâ, ff. de rit. nupt. L. quæris, ff. de natalibus restituendis; L. Imperiales, §. itaque, C. de nuptiis.* Et vigore hujus Juris posset Impera-

tor etiam proprium filium legitimare tanquam subditum, *cap. per venerabilem*, *§. videbatur.*

II. Legitimatus ab Imperatore consequitur paternam Nobilitatem. *Gratian. discept. forens. c.* 496. *n.* 8.

III. Legitimatus ab Imperatore non excludit filias legitimas, stante statuto, quòd extantibus masculis filiæ non succedant. *Barbos. in Repertor. Jur. Verb. Legitimus.*

IV. Filius ab Imperatore legitimatus excludit substitutum, præsertim, si testator consentiat. *Surdus de aliment. tit.* 2. *quæ.* 15. *Parisius, Costa, & alij.*

V. Imperator nòn potest Comiti Palatino concedere facultatem legitimandi proprios spurios. *Surd. cit. tit.* 1. *qu.* 10.

VI. Legitimatus ab Imperatore non ideò est legitimatus, quantum ad Ecclesiam. *Vid. Gloss. dist.* 101. *Pervenit. Vid. Sa verb. Filius. n.* 11.

His tamen non obstantibus, docet Bannes *præamb. ad quæst.* 62. 2. 2. *pag.* 97. quòd Imperator possit filium Clerici legitimare, ut possit esse heres in bonis, etiam ex reditibus Ecclesiæ acquisitis.

VII. Legitimatio Imperatoris valet etiam in

alio

alio Regno, ubi nulli fit præjudicium. *Sa loc. cit. n* 12.

VIII. Non præsumitur Imperator per suam Legitimationem velle alteri præjudicare. *Ibid. n.* 15.

ANNOTATIO I.

An natus ex matrimonio nullo, propter bonam fidem parentum, aut dispensationem sit legitimus?

NAtus ex matrimonio nullo, sed contracto bonâ alterius saltem conjugis fide, in facie Ecclesiæ, est legitimus: uti & is, qui ex illegitimo matrimonio, sed postea per dispensationem approbato: item, cùm parentes falsò, sed bonâ fide putant secum legitimè dispensatum esse. *Navarrus L.* 4. *cons.* 2. *qui filij sint legitimi. Ledesma, de Matrimon. q.* 45. *artic.* 4.

ANNOTATIO II.

An Matrimonium putativum, interveniente bonâ fide, prolem legitimet?

ETiam putativum matrimonium, id est, quod ab aliis putatur legitimum, interveniente bonâ fide, saltem unius conjugis, facit prolem, antè

susceptam, legitimam: ut si quis contrahat cum consanguineâ, ex quâ prolem ante à susceperat. *Covarru. L.1.num.17.*

CAPUT XIII.

De Jure infamatum famæ restituendi.

FAmæ restituere aliquem in Imperio, solius est Imperatoris. *Heigius p. 2. q. 22.n. 21.* Et per hanc criminum abolitionem, famæque restitutionem, prior macula ita tolli censetur, quasi nulla inhonesta vita præcessisset. *L. 1. §. de quâ, ff. de postulando, L. infamem, ff. de publicis judiciis.* Atque hoc ita intelligendum est, quòd tollatur infamia, id est, infamiæ pœna, ita ut tali homini infamia obiici non possit. Quod verum est, si Imperator simpliciter & expresse ad famam restituat; si autem solùm indulgentiam faciat, infamia non tollitur, *L. Indulgentia, C. de generali abolitione. L. cum Patre, C. de Sententiam passis, & restitut.* Ceterùm existimo infamiam à criminoso tolli potiùs per quandam Juris fictionem, quàm secundùm ipsam rei veritatem, eò quòd nunquam ità

perfectè tollatur, ut non remaneat quædam quasi vulneris cicatrix; *C. ventum, circa initium*, 1. *q.*1. *quia: c. illud* 50. *dist. c. si quis omnem*. 1. *q.*7.

CAPUT XIII.

De Jure concedendi illa beneficia, quæ à nonnullis vocantur Beneficia Juris, ab aliis Beneficia Principum.

I. BEneficia Juris sive Beneficia Principum varia enumerantur: præcipua sunt sequentia; videlicet Beneficium Epistolæ D. Adriani, Beneficium Senatus-consulti Macedoniani, Beneficium Senatus consulti Velleiani, Beneficium Competentiæ, Beneficium Ordinis, Beneficium quadrimestre.

II. Beneficium Epistolæ Divi Adriani (de quo fit mentio §. *Si plures instit. de fidejussor.*) consistit in eo, quod si unus è multis fidejussoribus de toto debito conveniatur, rectè is excipiat, pro certa parte duntaxat solvenda.

III. Beneficium Senatûs-consulti Macedoniani actionem denegat ei, qui filiofamilias mutuam dedit

dedit pecuniam, parentibus vel inſcijs, vel invitis. *L. 1. ff. ad Senat. conſult. Macedon.*

IV. Beneficium Senatûs-conſulti Velleiani negat actiones in mulieres, quæ fidejubendo, vel aliis modis pro aliis interceſſerunt. *L. 1. ff. ad. S. C. Velleian.*

V. Beneficium Competentiæ eſt, quod datur quibuſdam perſonis, quibus competens & honeſta ſuſtentatio relinqui debet, & non plus ab iis exigi, quàm honeſtè facere poſſint. Talis inprimis eſt maritus, qui, ſi ſoluto matrimonio à muliere de dote conveniatur: tunc tantùm in ſolidum condemnatur, ſi tantum in facultatibus habeat, ut ſalvo honeſto victu, dotem integram ſolvere poſſit; ſin minus, in tantum, in quantum facere poteſt.

VI. Beneficium Ordinis ſive excuſſionis eſt, per quod datur fidejuſſori convento exceptio, ut Principalis priùs conveniatur ac diſcutiatur. *Novell. 4. c. 1. de fidejuſſor.* Ratio eſt, quia fidejuſſor ſe in ſubſidium tantùm obligaſſe videtur.

VII. Beneficium quadrimeſtre iis competit, qui in actione perſonali ad ſolutionem condemnati ſunt, ut ad ipſam ſolutionē quatuor menſium dilationem habeant, etiamſi à Judice tempus brevius

brevius statutum esset. *L.4.§. Si quis condemnatus ff. de re judic.*

CAPUT XV.

De Jure veniam ætatis concedendi.

I. INter alia beneficia & privilegia à Cæsare concedi solita, est venia ætatis, (die Jahrgebung) hoc est, ætatis ab Imperali beneficio suppletio; sive est Jus legitimæ ætatis, quod à Superiore Magistratu minorennis impetrat, ut res suas ipse absque Curatore liberè administrare possit.

II. Verùm hodie etiam Principes, ac Status Imperij ætatis indulgentiam minoribus concedere possunt; licet illi 18. annos non impleverint; sufficit enim periculum abesse, & bona minorum non labefactari.

III. Effectus veniæ impetratæ principalis hic est, ut 1. minor pro majore habeatur, & à potestate Curatoris liberetur. 2. Ut rerum suarum liberã obtineat administrationem; tantum enim venia ætatis impetrata operatur, quantum ætas 25. añorum, *L. fin. in pr. C. de sponsal.* hinc post ætatem im-

petratam non minùs quàm post 25. annos restitutio in integrum currit.

Annotatio Unica.

De duobus Regibus, qui veniam ætatis ab Imperatore consecuti sunt.

Ludovicus Rex Hungariæ & Bohemiæ, defuncto Patre Uladislao veniam ætatis à Maximiliano I. Imperatore impetravit. *Dubravius lib.* 33. *Histor. Bohem.*

Similiter Christiano IV. Regi Daniæ anno 17. ætatis nondum completo ab Imperatore Anno Christi 1593. 26. Aprilis venia ætatis concessa fuit, referente Anton. Hering. *tract. de fidejussor. cap.* 2. *num.* 110.

CAPUT XVI.

De Jure recipiendi appellationes.

Hoc Jus consistit in extrema provocatione admittenda, éstque effectus supremæ potestatis, teste Marta *Tract. de Jurisdict. part.* 1. *c.*43. Adeò ut nullo unquam tempore jus illud Imperator

tor à se abdicare possit: neque contra illud unquam præscribi possit: quamvis ut ab Episcopo ad Archiepiscopum non appelletur, præscriptione quæri possit: cùm hoc supremæ potestati non cohæreat, écontrario autem Jus recipiendi appellationes supremæ potestati Cæsareæ intimè cohæreat, uti ex Baldo *in auth. Quas actiones.* notat Jason *in L. Imperium num.* 20. *ff. de Jurisdict.* Surdus quoque hoc jus inter reservata Principis recenset. *Consil.* 323. *num.* 13.

CAPUT XVII.

De Jure non appellandi.

I. INter Jura Majestatis Cæsareæ numeratur, quod ab Imperatore non possit appellari. *L.* 1. *ff. à quib. appell. non lic.* & hoc Jus cum Imperatore ita connexum est, ut nullo unquam tempore præscribi possit, *Sixtin. lib.* 1. *de Regal. c.* 2. *num.* 14.

II. Ab Imperatore non potest appellari ad Status Imperij. Quia Proceres Imperij seu Status Imperiales non sunt superiores, sed inferiores Imperatore, Appellatio autem debet fieri ab inferiore ad Superiorem.

III. Ab Imperatore malè, vel non satis informato, ad melius informandum appellare non licet. Hoc enim absurdum est, quasi Cæsar inconsultè sententias suas proferret. Memini me in probato Autore legisse, Notarium, qui hujusmodi instrumentum appellationis confecerat, officio & privilegiis Notariatûs privatum fuisse.

IV. Non obstante prædictâ doctrinâ, Doctores multi censent contrarium esse probabilius. Tum quia adversùs mandata Cæsarea sub- & obreptionis exceptio opponi potest, *Gail.* 1. *observ.* 14. Vide Sprengerum in Institutionibus Juris publici *lib.* 1. *cap.* 11.

Tum quia illa appellatio, de qua hic loquimur, est supplicatio, quæ nulli denegari potest, sicut patet *ex L. unica* §. 1. *de off. præf. præt.* tum quia appellans non adversùs Principem, sed adversùs relatoris calliditatem provocat; tum quia non quælibet sententia Principis pro lege custodiri debet; hinc aliquando Imperatores proprias reformant sententias. *Nov.* 12. *in præf. L.* 17. *in pr. ff. de jur. patron.*

ANNO-

Annotatio Unica.

De appellantibus à Principe dormiente ad vigilantem, à temulento ad sobrium, à malè informato, ad meliùs informandum.

I. ETsi à Principe, iisve, qui summam potestatem obtinent, appellari non possit, fuit tamen mulier, quæ, cùm à Philippo Rege temulento condemnata esset, ausa est à Philippo ad Philippum ipsum magis sobrium appellare. Atque sanè crapulam excussisse dicitur oscitanti: causâque diligentiùs inspectâ, Philippum æquiorem tulisse sententiam. *Valerius Max. lib. 6. cap. 2.*

II. Philippus Macedo, Machætæ cujusdam pro Tribunali sedens causam cognovit, sed dormitabundus, nec satis attentus ad Juris æquitatem: itaque sententiam tulit adversùs Machætam. Verùm cùm is exclamâsset se ab eâ sententiâ appellare. Rex iratus, ad quem? inquit. Hic Machætas: ad te ipsum, ô Rex, inquit, si expergiscaris, & attentiùs audias causam. Ac tum quidem surrexit Rex. Ceterùm posteaquàm causam apud se meliùs perpendit, intelligerétq; Machætæ factam injuriam, judicata quidem non rescidit,

sed pecuniam, quâ damnatus fuerat Machætas, ipse persolvit. *Plutarchus in Apopht. regum.*

CAPUT XVIII.

De Jure concedendi alicui privilegium de non appellando.

IMperator alicui inferiori privilegium de non appellando concedere potest. *L.* 1. *§.* 2. *&* 4. *ff. à quibus appellare non licet.* Atque hâc ratione appellatio ab Electoribus vetatur. *Aur. Bull. tit.* 11. Eodémque privilegio gaudent Archiduces Austriæ, Duces Lotharingiæ, & Burgundiæ. *Mynsf.* 5. *obser.* 58. At hoc privilegio non obstante superest remedium supplicationis, quæ & retractatio seu querela recursûs appellatur. *Auth. quæ supplicatio, C. de prec. Imper. offerend. L. unic. C. de sent. præf. præt. L. ult. §.* 5. *Cod. de temp. appell. Nov.* 119. *c.* 15.

CA-

CAPUT XIX.

De Jure gratiandi.

I. IMperatoris tanquam Supremi Principis Jus proprium eſt jus Gratiandi, quod Baldus referente Camillo Borello *lib. 2. de Magiſtr. Edict. c.* 10. hâc brevi & eleganti gnomâ declarat: *In Linguâ Principis ſtat gratia, in Scripturâ teſtimonium, in Executione commoditas.*

II. Gratia ſtatim atque Princeps, vel Papa dicit, Fiat, videlicet, quod petitum eſt, eſt perfecta in ſe quoad ſubſtantiam & valorem ſuum. *Barboſa in cap. Inſtitutionis.*

III. Gratiæ Reſcripta ſunt perpetua. *c. decet de R. I. in* 6. nec re integra morte expirant concedentis. *c. ſi ſuper de offic. deleg. in* 6.

IV. In Reſcriptis Gratiæ inſpicitur tempus datæ. *c. eam te. c. conſtitutus. & ibi gl. in verb. impetraſſet. de Reſcript.*

V. Gratia non præſumitur, niſi in gratioſè concedere ſolitis. *Joh. Meichſner. tom.* 1. *lib. deciſ.* 42. *num.* 4.

VI. Reſcripta gratioſa in præjudicium juris à tertio

tertio jam quæſiti regulariter valere non debent. *L.pen. C. de precib. Imp. offerendi. Cravetta conſil.* 241. *num.* 13. Sed hoc intelligendum, niſi maxima & urgentiſſima cauſa Principem moveat, & hanc etiam quis ita nominatim gratiam impetraverit: *arg.* §. 16. *circa fin. ff. ne quid in loco publico vel itin. fiat.* maximè ſi inſuper clauſula certæ ſcientiæ & plenitudinis poteſtatis eſſet reſcripto inſerta. *Liber. Decian. vol.* 2. *reſp.* 41. *num.* 21. *Schrader. conſil.* 37. *n.* 20. & *ſeqq.*

VII. Gratia ſemper intelligi debet, ſalvis Principatûs juribus, vel ſalvâ Republicâ. *ibid.* §. 24.

VIII. In Reſcriptis Gratiæ commiſſa ſub- vel obreptio tollit commodum gratiæ, ita ut conceſſio iſthæc ipſo jure non valeat. *Jaſon. vol.* 1. *conſil.* 3. *num.* 1. & *ſeqq. Pariſius lib.* 3. *conſil.* 98. *n.* 3.

IX. Gratia à Cæſare vel ab alio Rege facta uſque ad beneplacitum Imperatoris vel Regis, exſpirat morte concedentis. *Barboſa in cap. ſi gratioſè.* 5. *de reſcriptis. lib.* 6. *n.* 2.

X. In dubio pronuntiandum eſt, gratiam non eſſe ſubreptitiam. *Menochius conſil.* 316. *num.* 14.

XI. Ut impetratio gratiæ ſalvetur à ſub- & obreptione, omnes qualitates ſunt exprimendæ, qui-

quibus moveri poſſet Princeps ad non concedendum. *Cap. poſtulaſti.* 27.

XII. Si reſtituatur quis ad gratiam revocatam, ſine aliorum præjudicio intelligitur reſtitutus. Nam Princeps non intendit alicui facere gratiam cum præjudicio tertii. *Cap. quamvis, de reſcript. in* 6. *Cap. ſuper eo, extra de offic. delegat.* Unde is qui ad gratiam revocatam reſtituitur, non debet præferri alteri, qui ante reſtitutionem gratiam impetrat. *citat. Cap. quamvis.*

CAPUT XX.

De Jure concedendi privilegia.

I. HOc Jus Majeſtatis proprium eſſe patet, *ex C. de imm. nem. conced. lib.* 10. *L. un. C. de his qui vacat. accep. lib.* 10. Ratio eſt, quia derogare Juri ſuperiori & Legi univerſali (quod fit per Privilegium, *L.* 16. *ff. de LL.* ita dictum, quod Legem privet, *L.* 1. *§. fin. de conſtit. Princ.*) excedit vires inferiorum Magiſtratuum, & ſic ſoli competit, qui Legem generalem fecit, *L. omni innovatione. C. de SS. Eccleſ. L.* 43. *de vulg. ſub.*

II. Privilegium acquiſitum per fraudem nihil

prodest acquirenti. *L. hos accusare. in princ. ff. de accusat.*

III. Privilegium concessum bonis alicujus, extenditur ad bona postea acquisita. *Barbos. in Repert. Jur. verb. Privilegium.*

IV. Privilegium concessum uxori extenditur ad maritum. *Menoch. consil.* 136. *Barbos. in L. quia tale. num.* 22. *ff. solut. matrim.*

V. Privilegium concessum à Principe venditori, censetur etiam datum emptori. *Barbos. cit. num.* 47.

VI. Privilegium subdito concessum potest sine causa Princeps revocare; habet enim hanc tacitam conditionem, ut valeat, quamdiu Princeps voluerit. *Menoch. consil.* 331.

VII. Privilegiis propriè dictis tacitè hæc clausula semper inesse censetur: Rebus sic stantibus, permanentibúsque in eodem statu. *c. suggestum, de decimis. c.* 1. *de cognat. spirit. c. penult. de præscript. Besold. in delibat. Jur. ex lib.* 1. *Pandect. quæst.* 13.

ANNO-

ANNOTATIO UNICA.

An sicut hodie in condendis Legibus universalibus consensus Statuum, ita etiam in tribuendis privilegiis, requiratur?

Respondetur negativè, ex illo fixo principio: quòd omnia imperandi jura hodie adhuc Cæsari competant, quæ olim Cæsaribus ita competierunt, ut ea per nullam Legem à consensu Statuum Regni facta sint dependentia; nullâ autem Lege Regni probatur, quod Statuum consensus requiratur ad privilegia, ergò soli Imperatori jus privilegiorum adhuc competit, idque experientia probat: Promisit quidem Imperator Ferdinandus III. in Capitulatione *art.* 47. se dignitatem Principis vel Comitis nemini nisi digno & benemerito concessurum, at inde privilegij concessio ei non adimitur, sed potiùs confirmatur. *Schütz. disp. de Vic. Imp. Th.* 8. *Reinck. class.* 2. *c.* 1.

CAPUT XXI.

De Jure tollendi privilegia per quemcunque concessa.

HOc Jus competit Imperatori *per L. 1. §. 1. C. de Indictionibus, lib.* 10. Quòd si hujusmodi privilegia non sint clausa in Corpore Juris, sufficit clausula generalis, *non obstante Lege vel consuetudine*, ut ait Federicus de Senis in consil. 47. Si verò privilegia illa sint scripta in Corpore Juris, non sufficit clausula generalis *non obstante*, sed requiritur, ut de illis in specie fiat mentio. *Alexand. consil.* 101. Adde, quòd Imperator tollat etiam privilegium à se ipso concessum, si scienter faciat contra illud. *cap. Suborta, extra de re judic.*

CAPUT XXII.

De Jure quo Imperator solus de suo privilegio cognoscit.

I. SEcundùm doctrinam Jurisperitorum, Princeps Supremus seu Cæsar solus de suis privi-

le-

legiis cognoscit. Quod inprimis cernitur in causis privilegiorum Cæsaris, putà si quis ratione violati privilegij Imperialis, ad pœnas eidem privilegio insertas agere velit. Solus enim Imperator, qui privilegium dedit, de eo cognoscere & judicare poterit. text. *in cap. cùm venissent, de judiciis, gloss. ibid. in verbo judicari.* text. *in cap. 1. de Lege Conradi. Bald. in Prælud. Feudo. num.* 18.

II. Porrò prædicta, quòd videlicet solus Cæsar cognoscat de suo privilegio, intelligenda sunt, quando disputatur de Substantia Privilegij, vel quando privilegium tangit jus Principis: si verò jus alterius concernat, tunc etiam cognitio Judicis Ordinarij est, ut pulchrè declarat Baldus *in d. Prælud. Feudo. n.* 18. & *in d. cap.* 1. *de. Lege Conradi.*

CAPUT XXIII.

De Jure revocandi privilegia aliis concessa.

PRivilegia, quæ largitur Imperator, naturâ suâ sunt revocabilia, si non per modum contractûs aut donationis, sed precariò concessa sunt.

Semper enim privilegiis hæc clausula tacitè inesse censetur, *rebus sic stantibus*, *& in eodem statu permanentibus*: uti docet Besoldus *in delibat. ex lib.* 1. *Pandect. quæst.* 13. Et fundatur *in c. suggestum, de decimis, c.* 1. *de cognat. spirit. c. penult. de præcept.*

CAPUT XXIV.

De Jure quod habet Imperator sua propria arma sive insignia alicui inferiori communicandi.

CHassanæus in catalogo Gloriæ Mundi *Part.* 1. *conclus.* 44. pro adstruendo ac defendendo hoc Jure varias adducit rationes, inter quas efficacissima hæc esse videtur, quam ipse his verbis proponit: Scribitur, inquit, de multis Imperatoribus, quòd sibi socium & comitem Imperij delegerunt. Assumpsit enim Gratianus Imperator Theodosium secum, qui cum eo, & Valentiniano imperavit, ut apertè testatur *L.* 1. *C. de sum. tri.* cuncta superscriptione ejudem Legis, ubi loquuntur Gratianus, Valentinianus, & Theo-

Theodosius Imperatores. Similiter Arcadius filius Theodosij assumpsit secum Honorium: & postea idem Honorius Theodosium juniorem secum assumpsit in administratione Imperij, & multi alij Imperatores ita fecerunt, ut perscrutanti historias, & superscriptiones Legum apertum est: Fuerunt simul Imperatores Diocletianus & Maximianus, *ut probatur in capitulo Nunc autem. 20. distinct. in illis verbis: siquidem tempore Diocletiani & Maximiani Augustorum. juncta gloss. 1. ibi: in verbo, Diocletiani, & in L. soror juncta superscriptione illius. Cod. de col. pro quo facit Clement. Romani. in gloss. in verb. reges, in fin. de jurejurand.* Ex quibus patet Imperatorem assumpsisse consortem, & ei concessisse jura Imperij: ergò multò magis arma, & insignia sua potest alicui concedere: per regulam Juris, cui licet quod est plus, licet utique quod est minus, *cap. cũ licet, de reg. Jur. lib. 6.* Constat autem plus & majus esse concedere alteri societatem Imperij sui; quam insignium suorum.

CAPUT XXV.

De Iure absolvendi à Iuramento ad effectum agendi.

I. IMperator habet Jus abſolvendi aliquem à Juramento, ad effectum agendi, einem ein gegebene Urphed gegen dem Herrn / so ihn also verurphedet hat/ zu relaxiren / damit er sich seines Rechtens gegen selbigen gebrauchen möge / *Borcholt. in c. un. quæ ſint Regal. num.* 4. *Vult.* 1. *F. S. num.* 7. *§. hæc ſunt. verſ. abſolvere à juramento*, cujus abſolutionis effectus eſt, quò ſine metu perjurij jurantis perſona contra Dominum actionem intentare apta reddatur.

II. Prædictum Jus relaxandi juramentum ad effectum agendi competit etiam Cameræ Imperiali. Quamvis enim cauſa juramenti, an videlicet juramentum ſit licitum vel illicitum, ſervandum, vel non ſervandum, & multò magis abſolutio à juramento ad Judicem Eccleſiaſticum, tanquam articulus ſpiritualis pertineat, *text. in c. venerabilem, in fin. de electionib. & in cap. novit,* de

de jud. text. in cap. cùm contingat. de jurejurand. Hæc tamen doctrina non procedit in judicio Cameræ Imperialis, quoad relaxationem juramenti ad effectum agendi, quia ex Ordin. *part. 2. t. 24.* hoc ipsis Assessoribus Cameræ prævià causæ cognitione utrum Juramentum sit obligatorium, nec ne, Cæsaris & Statuum auctoritate permittitur: quod de jure civili secularibus Judicibus quoque conceditur, *per text. in L. fin. ff. ad municip. text. in L. fin. ff. qui satisd. cog. text. in* L. *fin. ff. de re milit.*

CAPUT XXVI.

De Iure faciendi gratiam delinquenti, aut pœnam à Lege statutam minuendo, aut planè remittendo.

GRatiam delinquenti facere solius est Principis supremi. *L. Relegati. in fin. de pœn.* & in hoc summa potestatis maximæ elucescit, *Lancell. in templ. om. Jud. 1. cap. 1. §. 4.* Unde illud vulgatũ:

Regia crede mihi res est succurrere lapsis.

Ita tamen hoc jus Majestatis usurpare convenit Principem, ne impediat & auferat jus partis; sed

partem læsam concordari oportet, vel jus ei reservari, juxta consuetudinem totius Orbis. *Farin. in prax. crim. lib.* 1. *t.* 1. *q.* 6. *n.* 6. *L. fin. v. nisi. C. de abolit.* Cùm Princeps nec de plenitudine potestatis regulariter tollere possit jus tertij sine causâ, *L. venditor. §. si constat. Com. præd. L. fin. C. si contra jus.* quod parti læsæ quoad damna causata quæsitum est, *L. Liber homo. L. quâ actione ad L. aquil.*

ANNOTATIO.

An Mater supremi Principis possit facere gratiam delinquenti?

GRatiam delicti facere nec Matri Regis concedi posse, sine majestatis diminutione, Curia Lutetiana judicavit. Bodinus. Hinc Tiberius Imperator asyla sustulit, ut gratia servatorum solis Principibus accepta referretur. *Tacit.* 3. *Annal.* Et ideo etiam solus Princeps asyla aperit, ijsque, qui ad statuas confugiunt, tutum recessum præbet. *§. dominorum, in fin. de his qui sui.*

CAPUT

CAPUT XXVII.

De Iure Monetam cudendi.

I. IUs Monetam cudendi & Imaginem valorémque nummi conſtituendi, eſt de Reſervatis Imperatoris, ſicut patet ex *Receſſ. Imp. Norinberg. an.* 1524. §. dergleichen hat der Müntz. 26. *ibi*: Gerechtigkeiten vnd Regalien der Müntz/ & edicto Maximiliani *de an.* 1570. §. 132. *ibi*: alsdann auch die Müntz-Gerechtigkeit kein Mercanz, ſondern vnſer Kayſerl. Regal / adeò ut inferiores Principes, ſive Status Imperij non habeant, niſi illis ſit vicarium, vel beneficiarium, vel privilegiatum.

II. Moneta propter octo cauſas poteſt plus minúsve valere. *Prima* eſt diverſitas metalli. *Secunda* diverſitas bonitatis ejuſdem metalli. *Tertia*, diverſitas formæ ac ponderis. *Quarta*, diverſitas Locorum. *Quinta*, reprobatio totalis vel partialis. *Sexta*, temporis diverſitas. *Septima*, copia vel defectus. *Octava*, præſentia, vel abſentia. *Alloza in florib. Summar. Verbo Moneta.*

ANNOTATIO I.

An Imperator pretium Monetæ mutare possit?

Responsio est affirmativa, nisi redundet in damnum Reipublicæ, aut præjudicium subditorum, *Matth. Steph. de jurisd. c. 1. n. 2.* quod enim in alterius vergit præjudicium & jure naturæ illicitum est, nec Princeps facere potest, & graviter reprehenditur Rex Arragoniæ ab Innocentio IV. quod populi consensu irrequisito jurasset Monetam patris, quæ usque adeò diminuta erat, ut grave ea propter scandalum in populo generaretur, conservare, *c. quanto. ubi gloss. de jureiu. Arnis de Jur. Majest. c. 5. n. 5. pag.* 433.

ANNOTATIO II.

An in signanda moneta liceat uti auro Chymico?

I. Responsio est negativa: Nec enim licet in comercium deducere tanquam aurum, quod verè tale non est; aurum autem chymicum non habet omnes veri auri proprietates in medicinis, nec caret noxijs qualitatibus ab igne carbonario & venenato hydrargyro contractis. Ac licèt cultores Alchymiæ contendant se suis fornacibus aurum perfectius educere, quàm natura sit

solita,

ſolita, aut in viſceribus terræ operetur: aliter tamen D. Thomas, Del Rio *diſq. mag. lib.* 1. *c.* 3. *q.* 1. Scilicet hâc arte tantùm produci aurum, quoad extrinſecas qualitates, non quoad internam auri perfectionem, quicquid ipſi artifices putent, vel ſpe lucri faſcinati, vel ingenti imaginationis apprehenſione decepti.

II. Unde eiusmodi impoſtoribus pœnam adulterinæ monetæ imponit Pontifex Joañes XXII. *c. ſpondent. Extravag. lib.* 5. *de crim. Falſ.* Cujus Conſtitutionis hic eſt tenor.

III. Spondent, quas non exhibent divitias pauperes Alchymiſtæ: pariter, qui ſe ſapientes exiſtimant, in foveam incidunt, quam fecerunt. Nam haud dubiè huius artis Alchymiæ alterutrum ſe profeſſores ludificant, cùm ſuæ ignorantiæ conſcij eos, qui ſupra ipſas aliquid huiusmodi dixerint, admirentur: quibus cùm veritas quæſita non ſuppetat, diem cernunt, facultates exhauriunt, ijdémque verbis diſſimulant falſitatem, ut tandem, quod non eſt in rerum naturâ, eſſe verum vel argentum ſophiſticâ transmutatione confingant: eóque interdum eorum temeritas damnata & damnanda progreditur, ut fidis me-

tallis cudant publicæ monetæ characteres fidis oculis, & non aliàs Alchymitum fornacis ignem vulgum ignorantem eludant. Hæc itaque perpetuis volentes exulare temporibus, hac edictali constitutione sancimus, ut quicunque huiusmodi aurum vel argentum fecerint, vel fieri secuto facto mandaverint, vel ad hoc scienter (dum id fieret) facientibus ministraverint, aut scienter vel auro, vel argento usi fuerint vendendo vel dando in solutum: verum tanti ponderis aurum vel argentum pœnæ nomine inferre cogantur in publicum pauperibus erogandum, quanti Alchymitum existat; circa quod eos aliquo prædictorum modorum legitimè constiterit deliquisse: facientibus nihilominus aurum vel argentum alchymitum, aut ipso (ut præmittitur) scienter utentibus perpetuæ infamiæ notâ respersis. Quòd si ad præfatā pœnam pecuniariam exsolvendam delinquentium ipsorum facultates non sufficiant, poterit discreti moderatio judicis pœnam hanc in aliam (puta carceris, vel alteram juxta qualitatem negotij, personarum differentiam, aliásq; attendendo circumstantias) commutare. Illos verò, qui in tantæ ignorantiam infelicitatis pro-

ruperint,

ruperint, ut nedum nummos vendant, sed naturalia juris præcepta contemnant, artis excedant metas, legúmque violent interdicta, scienter videlicet adulterinam ex auro & argento alchymito cudendo seu fundendo, cudi seu fundi faciendo monetam: hac animadversione percelli jubemus, ut ipsorum bona deferantur carceri, ipsíq; perpetuò sint infames. Et si Clerici fuerint delinquentes, ipsi ultra prædictas pœnas priventur beneficijs habitis, & prorsus reddantur inhabiles ad habenda.

Annotatio IIII.

An Augustà habeat jus cudendi monetam?

CHristus Servator noster, ut Judæos suæ subjectionis convinceret: *Ostendite*, inquit, *mihi numisma census*; qui cùm ipsi denarium obtulissent, quærente Christo, cuius ea imago esset, & Judæis respondentibus, esse imaginem Cæsaris, subjunxit sapientissimus Dominus: *Date igitur quæ sunt Cæsaris Cæsari:* non verò dixit: Date Imperatrici quæ sunt Imperatricis. Ex quo Christi oraculo non obscurè colligitur jus Monetandi non ad Augustam sed ad Augustum pertinere.

Quod

Quod etiam ſequens confirmat Hiſtoria. Maria Ludovici Regis Hungariæ & Poloniæ filia, uxor prima Sigismundi Regis Boëmiæ (qui Romanus Imperator electus eſt anno Domini 1411.) magnitudine dotis elata, Regem contemnere cepit: & monetam auream de ſuo nomine cudi fecit, cum hac inſcriptione: *Maria Rex Hungariæ.* Ob quod factum, Rex conjugem verbis caſtigavit. Illa memor conditionis ſuæ, à facto poſthac abſtinuit. Erant tum in aula, qui Regi malè volebant: & cùm intelligerent, Reginam ob numiſma illud à rege increpatam, putabant, ſibi jam ſubvertendi Regis occaſionem dari. Accedunt ad Reginam; & cùm ea trucidandi regis conſilium captant, Maria Imperatori rem indicat, & ut in cubiculo ſe abſcondat, monet. Noctis medio conjurati cubile irrumpunt, & Reginam ſolam inveniunt. Tum unus: *Hæc Proditrix conſiliorum noſtrorum:* voluitque in eam gladio ſævire. At alius Noli inquit, innoxiam perdere. Exeuntes itaque quinquaginta, domum ſe recipiunt. Rex, qui omnia viderat, ante lucem omnes comprehenſos proditorum pænâ affecit. *Hieronymus Zieglerus in hiſtor. illuſtrium virorum Germ.* & *Cranz. lib.* 10. *Sax. cap.* 8.

ANNO-

ANNOTATIO IV.

An Imperator possit privato concedere jus Monetandi?

HOmini privato jus monetandi ne quidem per Imperatorem concedi potest, *L. fin. C. de fals. monet.* Alteri equidem, ut Regi, Principi & Civitati populum subjectum habenti ritè & rectè hoc Regale conceditur, at privato non æquè, *Jo. Aquila de potest. & utilitat. Monetæ c. 2.* Et licet Privatus ex Rescripto Imperatorio cudendæ monetæ potestatem nactus fuerit, rescriptum tamen illud subreptitium præsumitur, nisi *motu proprio Principis*, & cum clausula *Non obstante* conceptum fuerit.

ANNOTATIO V.

Ob quam causam mixtura in monetis sit licita & toleretur?

MOneta mixta dicitur, quæ ex auro & argento, argento & cupro, cupróve & auro conflatur. Ratio verò cur hæc mixtio licita censeatur, pendet ex soliditate & duritie nummorum: purissimi siquidem nummi aut quatiuntur facilè; aut leviter usu teruntur. Aliam rationem vide

apud Matth Coler. *de Processf. execut. part.*1. *c.*10. Hierony. Schurff. *Cent.* 2. *Consil.* 66. *n.* 7. Jacob Bornit. *de Num. Lib.* 1. *Cap.* 7. Krull. *de Regali Monetarum Jure cap.* 5. *num.* 32.

ANNOTATIO VI.

Quomodo Moneta quæ ponitur in Literis cambialibus, sit dirigenda & ordinanda ratione Loci?

AD hoc ſic reſpondet Dietherus in Theſauri practici BeſoldianiContinuatione Litera M. num. 80.

Die Müntz / ſo in dem Wechſel-Brieff geſetzt / wird gericht nach dem Orth dahin die Tratta geſchicht / alſo ſchließt man Wechſel auff Teutſchland mit Reichsthaler oder Gulden / zu Hamburg vnd Lübeck mit March / in Polen mit kleinen Gulden die 30 Kr. machen / in Ungarn mit Ducaten / in Venedig mit Ducati de banco vnd Ducati correnti, in Rom mit Scudi d'Argento, in Neapoli vnd Florentz mit Ducati, in Holland mit Pfund Flämmiſch vnd Groten / in Franckreich mit Libres vnd Pfund / wie auch auff Sonnekronen / deren 65. ein Marck machen / auch auff ſchlechte Cronen deren eine drey Pfundt gilt. In Engeland mit Pfund Sterling / in Spanien mit Realn vnd Maravadis, in Genua mit Scudi

Scudi di Marche vnd Scudi d' argente, in Mayland vnd Bergamo mit Ducatoni, in Moscau mit Rubel. ꝛc.

CAPUT XXVIII.

De Jure Civitatis, Burgi, Castri sive Arcis, &c.

I. IUs dandi privilegium Civitatis est unum ex Regalibus Cæsaris, quod eiusdem consensu vel tacito, vel expresso concedi potest & solet, sine consensu autem minimè. Hinc Maximilian. Imperator anno Christi 1514. Alberto Comiti Mansfeldiæ, qui vico cuidam tale jus dare voluit, ita rescripsit: Wann nun dir/noch jemand anders/ nicht geziemet / Stadt-Recht / oder anders / das der hohen Obrigkeit anhengt / ohne sondere Erlaubnuß auffzurichten/ so empfehlen/ꝛc. quo mandato inhibitorio illud fieri prohibuit.

II. Burgus non secus distinguitur à Civitate, quàm Parvum à magno. *Losæus part.* 3. *de jur. univers. c.* 13. *numero* 7.

III. Castrum est locus muris munitus, differtq; à Burgo, quod in Burgo sit multitudo, quæ non

requiritur ad Castrum. Castellum communi loquendi modo accipitur pro fortalitio.

IV. Observa circa Castrum cum Althusio *lib.* I. *Dicæol. cap.* I. *num.* 28. quòd Castro concesso omnia pertinentia concessa intelligantur, ut tormenta, munitiones, annonæ, reditus, census & similia annexa.

V. Probatur Castri possessio, præter alios probandi modos, per custodiam, quam quis ibi ponit. *Bald. in l. traditionibus. C. de pact.*

VI. Princeps Castrum donando, non Regalia, sed minora jura donâsse censetur. *Albert. in l. ult. C. de jurisd. omn. Iudic.*

VII. Si duo fratres fuerint, commune Castrũ possidentes, & unus ex illis suam partem sine fratris consensu vendiderit, venditio est nulla, *Alex. in l. cum allegas. C. ne fisc. vel. resp.*

VIII. Castrum inter duas Civitates positum, in dubio præsumitur illius esse, cui proximè adjacet, *arg. l.* 7. *§. insula. Laudens. tr. de Castell. q.* 7.

IX. In Castro communi seu Ganerbico Castellanus ab omnibus consortibus eligi debet, *l.* 5. *in fin. C. de autor. præst. l.* 8. *l.* 10. *de aqu. pluv.* quibus deinde fidelitatem jurare tenetur. *Borë. de potest. clau. num.* 11. 12. X. Gu-

X. Gubernator loci tenetur fidejuſſoribus cavere de reſtituenda arce. *Godd. de Contrah. ſtipul. c. 6. concl. 23. n. 357.*

XI. Jus muniendi, ſive arces, caſtella & fortalitia de novo erigendi, Veſtung bauen / (uti & ad poſitionem militum in fortalitijs, die Veſtungen mit Soldaten beſetzen) Domino territorij competere, & inter Regalia referri, cenſent Politici, authoritate Ulpiani *in L. Sacra. 9. §: muros. 4. ff. de R. D.*

XII. Ad transferendam Civitatem de loco in locum, qui frequenter ſpectris, vel contagione aut aquarum inundatione infeſtatur, conſenſus Imperatoris exigitur. Ita Limn. *de jur. publ. t. 4. lib. 2. c. 9. n.* 128. ubi idem in Galliâ obſervari oſtendit.

ANNOTATIO I.

An Princeps tempore belli ſuburbia diruens teneatur ad refuſionem ſeu reparationem?

RESpondeo, ſi Princeps id faciat, ne ſuburbia hoſtibus ſint adjumento, & civitati nocumento, ſumma & abſoluta poteſtate utitur (quod vocant dominium altum) & ideo ad refundenda damna non obligatur, quia potentior graviorq;

 eſt

est causa, & utilitas publica quàm privata, adeoque præponderare debet. *Gail. 2. Obser. 56. n. 18.* *Dissentit Bachovius* cum nonnullis alijs, quos ego puto non audiendos.

ANNOTATIO II.

An id quod in suburbiis fit, in Civitate factum esse intelligatur?

RESpondet affirmativè Menochius *arbitr. Jud. quæst. Cas.* 155. quia suburbia communibus civitatis privilegijs & juribus utuntur, & quod de civitate disponitur, etiam de suburbijs dispositum censetur, *Carpzovius p.* 1. *Dec.* 2. *n.* 13. Consentit Klockius *volum.* 3. *Consil.* 145. docens suburbia & ædificia pomerio civitatis proximè adjacentia pro parte civitatis haberi, & in ejusdem juribus participare. Quòd si tamen materialiter, sive ratione ædificiorum & situationis loquamur, existimandum est spatium illud pomerijs inclusum propriè urbem dici, & sic suburbia propriè non esse urbis partes, sed potiùs appendices, quia suburbia murorum ambitu, quo urbs finitur, non continentur.

CAPUT

CAPUT XXIX.

De Jure officia distribuendi.

I. IUs officia distribuendi etiam añumeratur reservatis Imperatoris, à quo tanquam fonte omnes dignitatum rivuli promanant. *Nov.* 53. *L. sacrilegij. C. de divers. rescript. Sixtin. de reg. l.* 1. *c.* 4. *n.* 3. *Zasius in epit. feud. p.* 5. *n.* 14.

II. Officia, quæ distribuit Imperator, sunt præcipua sequentia.

In Camera Imperiali constituit Judicem & quatuor Præsides, duos Catholicos, & duos Lutheranos, & præsentat duos Assessores. *Instrum. pac. Suec. punct.* 5. §. 20. In Aula sua constituit supremum Aulæ Magistrum, Consiliarios intimos, supremum Cubicularium, supremum Aulæ Marescallum, supremum stabuli Præfectum, (cuius hoc est privilegium, ut apud Imperatorem peregrè euntem in pilento, tecto capite sedeat) Cubicularios Cæsareos, quales ordinarij duodecim numerantur, reliqui honorarij & extraordinarij sunt.

III. Constituit ulterius Consiliarios Imperiales

les Aulicos partim Nobiles & Comites, partim Doctores, religione pariter mixtos. Accedit Consilium Bellicum, Consilium Cameræ &c.

IV. Numerantur quoque inter primarios Cæsaris Officiales sequentes; videlicet Vice-Cancellarius, cuius constitutio reservata est Electori Moguntino ex Capitulatione Leopoldinâ Imperatoria. Deinde Cancellarius Aulicus, Præsides Consiliorum: Venator supremus, Præfectus Bipennigerorum, vulgò Hatschierer / Præfectus Hastiferorum, vulgò Trabanten / supremus culinæ curator, Magister bacilli, vulgò Stäbelmeister / qui bacillum nigrum gerens, dapes, quæ ad mensam feruntur, præcedit.

V. Sunt insuper etiam officia aulæ hæreditaria, ut 1. Postarum præfectura, quam in feudum masculeum recognoscunt Comites de Taxis, quoad Imperium: quoad terras Austriacæ Domus hereditarias Comites de Paar eodem jure id possident. 2. Est officium Judicis Rotwilensis, quod Comites de Sultz in feudum masculeum à Conrado III. Imperatore Anno 1147. acceperunt.

ANNOTATIO I.

An illi, qui inserviunt officiis maioribus, possint cogi, ut inserviant minoribus?

RESponsio est negativa, juxta *L.* 2. *Cod. quemadmodùm civilia munera indic. lib.* 10. *L. humilioribus, Cod. de suscept. præposit.*

ANNOTATIO II.

DUo sunt officia principalia, quorum distributio ad Imperatorem spectat: videlicet officium primi Ministri, sive *Ministrissimi* (qui titulus ante annos paucos in Gallia primùm auditus fuit, cùm Cardinalis Mazarinus officio primi Ministri fungeretur, qui huiusmodi cognomentum sibi à suis tributum minimè recusavit, uti testatur Thomas. *Dissert. de Ministrissimo Thes.* 6.) & officium Legati: quorum singula sequentibus Annotationibus idoneo exemplo illustrabuntur.

Annotatio III.

De ingenti præsumptione, quâ Luynæus in Aulâ Gallicâ primæ admissionis Minister in conciliandis matrimoniis usus, ac proinde officio Ministri malè functus fuit.

I. DE Luynæo, per matrimonia cum Principibus & Primoribus Regni suam fortunã stabilire contendente, hæc narrat Gramondus *Histor. Gall. lib.* 5. Ineunte Martio (scilicet Anni M. DC. XX.) Luynæum libido incessit confirmandi se fortunámque suam per infantium matrimonia, qui adhuc in cunis vagiebant. Condæi & Guisij præcipua tum erant apud Gallos fastigia: hinc Luynæo visum, fore posthac inexpugnabilem se, si præsidiò utriusque niteretur. Duplici in pacto matrimoniali nexu tres junguntur familiæ, Anna Borbonia Condæi filia adhuc in cunis agens Francisco Lotharingo, Principi Joinvillæo in magnam spem nato; Carlo-Ludovicus Dux Jousa, Guisij filius natu minor, Luynæi filiæ copulantur, voto mage, quàm re, & effectu; neque enim secutæ nuptiæ fato humanarum rerum; Luynæum non multò post mors inopina præveniet; *de quo vide Gramondum Histor. Gall.*

lib.

lib. II. Guisilum Borboniæ tum Virgini omnium calculis debitum, dum in Italia aget exulem, mors indebita metet flore juventæ & primâ virtute illustrem. Sic ridet spes hominum & consilia DEUS. Ferunt (pergit laudatus Gramondus) Ducem Guisium, post obsignatum Joinvillæi, filij sui, cum Borboniâ matrimonium, ad oblatam chartam, quæ pacta Luynææ Virginis cum Jousa item filio continebat, calamo ad manum diu hæsisse, velut altâ cogitatione defixum, Regíque percunctanti, quid moræ esset, quin subscriberet? respondisse, non probè se memorem nominis sui, nec scire quo vocabulo subscribendum, rem sanè ridiculam Viro, qui Borboniæ Virginis cum primogenito suo matrimonialibus pactis subscripserat vix interjecto momento: risum elicuit Regi dictum in speciem innocens: decesserat Principi nominis sui memoria per indebitā Luynæi sanguinis admixtionem, quod palàm esse voluit ingeniosus Vir ambiguo ad Regem responso. Hæc ille.

Ceterùm Luynaus in Aulâ Gallicanâ dum viveret Summus & prope omnia, post mortem infimus & prope nihil.

II. Incredibile ferè est,quod de Luynæi morte Gramondus suprà citatus recenset. Nondum, inquit, exhalaverat animam, cùm defuêre amici, familiares, medici, & suppellex omnis; statim desertum Luynæi limen, quíque turmatim litaverunt fortunæ adultæ dum stabat, exsecrantur cadentem & abdicant. Quanta amicis fides, qui aulam sequuntur! Nemo ambiget, dum munia coronæ omnia, dum Ecclesiastica beneficia, publicámque ad libitum pecuniam distribuebat Luynæus, conciliâsse sibi largitione plerósque, quos inter vix duo, morienti oculos claudunt: reliquis ejerantibus gratiam; Abbas Rousselayus & Contadus mortuæ fortunæ litant,quod in aulâ rarum. Deficientibus ad justa exsequiarum cereis & syndone, ære illi suo comparant. Possidebat quæ in aulicum cadunt omnia,nec inventa in tantâ supellectile carbasus tumulando; in quo spirabant omnia, destitutus omnibus exspirat solus. O spectaculum, cui (si Luynæi fortuna non ignorabitur) vix sit habitura fidem posteritas! fluxam aulæ fortunã! triste humanæ vitæ speculum! cui si se attentiùs introspiciunt aulici, spernent, quæ tanti faciunt honorem instabilem,

bilem, familiarum decora, divitias & luxum. Auxit fortunæ ludibrium casus incredibilis. Ferunt, commissum cymbæ cadaver secundo tum amne Burdigalam invehitur; sanie & tabo polluta viscera feminis, quæ in littore lintea fortè emundabant, tradita, abstergendo sanguini, separandæque saginæ. Postquam lota Comestabilis viscera; petentibus conductæ pretium operæ feminis, datur salsus piscis, quem cymbæ magister commiseratione largitur nullâ extis pecuniâ redimendis. Cadaver Burdigalam invectum metu seditionis clanculò in portu reclinatur, nullôque demum apparatu ad Turonensem agrum infertur feudo Maliacæo, cui à Luynæo nomen est. Hic finis Viro, quem in summa rerum evexerat fortuna parum constans: momento transacta felicitas, quam operata in momento fortuna.

ANNOTATIO IV.

Raræ dotes Joannis Waradinensis Episcopi, qui Munus Legati ad Regem Gallorum non minùs splendidè & magnificè, quàm prudenter & feliciter obivit.

I. IOannes Waradinensis Antistes natione Moravus, vir fuit omnino egregius, & inter ma-

ximos seculi sui numerandus. Erat enim naturæ & ingenij dotibus, judicio, doctrinâ, consilio, prudentiâ, religione, morum suavitate, vitæ integritate, facundiâ, magnanimitate, & in rebus agendis perficiendísque industriâ, & dexteritate præstans; uti legere est apud Bonfinium, eorum omnium testem oculatum, qui inter alia sic scribit:

II. Joannes Waradinensis Antistes, ad Gallos Orator pronuntiatus erat; quo ad id munus obeundum, nemo tempestate nostrâ magis idoneus visus erat. Is enim ex humilibus, ut ipse ingenuè fatebatur, parentibus, & in tenui re ad Olomucium (Prostiegovij) natus, tanta ingenij dexteritate, consilio & industria valuit, ut apud Regem Matthiam, inter primos & charissimos haberetur, & Supremus, ut aiunt, Cancellarius & Secretarius esset. In bello námque Bohemico, cùm Rex Moraviam in provinciam redegit, capto Olomucio, hunc adolescentem Cziupori Weivodæ commendavit. Hic mox ingenij præstantiâ, & experientiâ rerum sic excrevit, ut in gerendâ provincia, Bohemicísq; rebus administrandis, hoc potissimùm moderatore uteretur. Quare

perbrevi

perbrevi suâ fide, integritate, prudentiâ & magnanimitate sic Regi placuit, ut in primis Waradinensi, deinde Olomucensi Pontificatu eum exornârit. Quin etiam multis Basilicarum præfecturis adauctus est; triginta enim aureorum millia è proventibus annuis accipiebat. Immensa huic inerat liberalitas & magnificentia; ut munus quodque sibi delegatum, honorificentissimè gereret; nec labori nec sumptui pepercit. Nobilissimas semper domi clientelas aluit: omnia mandata Regis, non modò è sententia, sed præter omnium opinionem felicissimè gessit. Gravissima quæque negotia ei â Rege committi solita. Accedebat faustus & venerandus aspectus, oratio liberalis, animi magnitudo, robur & pulchritudo corporis operosissimi: cui indefatigabile ac perspicax inerat ingenium. Adde his mores præstantissimos, mansuetudinem inauditam, hilaritatem summam: præterea comitatem cum magna popularitate conjunctam. Promptissimus ad officia semper habitus: cui nihil molestius; quàm aut quemquam lædere, aut simulare dissimularéve quicquam. Amicos nimiùm ex corde dilexit; obtrectatores & inimicos benè potiùs recon-

reconciliare, quàm malè merendo ulcisci statuit. Ad oblivionem injuriarum, & benè merendum potiùs, quàm ad vindictam natus erat: quare Vir bonus & innocens à Rege & judicatus, & pronuntiatus est.

III. Is igitur (juvat ampliùs audire magnificentiam Viri) cùm in Galliam Orator profecturus esset, raram profectò pompam instituit, ut rem Principe séque dignam faceret. Trecentos inprimis equos eodem colore omnes & magnitudine: trecentos quoque juvenes ex universis Procerum ordinibus, & ex tota Nobilitate delegit, qui per singulas urbes togati incederent, & purpureo cuncti habitu uterentur; item, intonsi omnes, & eadem proceritate ætatéque consimiles. Ex his torquatos plurimos cernere erat: cæteros verò, quibus aurei crines fuerunt, gemmatis capita sertis obductos. Supellex adhæc plusquàm pontificia, quæ necubi explicari potuit, quin Regiæ Majestatis hospitium referret, &c. Legationem tantâ ubique pompâ gessit, ut nihil tempestate nostrâ magnificentius usquam gentium spectatum esse referatur. Parisijs sæpè forum piscarium, in celebrandis convivijs sic exhausit, ut dispensa-

tores

tores quandóque regij pisces mendicare coacti fuerint.

IV. Et alibi, de relictis ab eo seculi curis, & transitu ad religiosam vitam hæc habet Bonfinius: Joannes Warad. Ep. qui unà cum Urbano, apud Matthiam semper obtinuerat principatum, coronato è sententia sua Rege Wladislao, cùm se sat Patriæ, & humanæ gloriæ satisfecisse putâsset, præter omnium opinionem, omissâ mortalium rerum curâ, ad Divi Francisci collegia, invito Rege confugit; facinus de se præclarissimum edidit, per omnia tempora comemorandum &c. Cùm Regem nactus esset indulgentissimum, & ob superiora merita deditissimum, Valentino Lupo Episcopatum Warad. renunciavit, & ut continuò potiretur, cum authoritate regia, facilè impetravit. Præposituram Budensem in suburbano sitam Oswaldo Episcopo Zagrab, Nicolao pro-pontifici olim suo, primariam in Waradino præposituram, alia alijs, pro dignitate distribuit. Olomucium deinde se recepit, ut priusquàm Divi Francisci sacris initiaretur, ritè cuncta disponeret. Familiares partim inter servitia Regis, partim inter Valentini successoris familiam insinuavit;

quem diutinâ experientiâ ita dilexit, ut filij loco ſemper haberet. Antequam Religionis illius ſumeret habitum, illic annum exegit: interea ædem Olomucij mirâ celeritate exædificatam, & Pantheon appellatam, cunctis Numinibus ex voto dicavit, magnificéque donavit: ſacras veſtes, auro gemmíſque onuſtas, & multa vaſorum genera, non Waradinenſi ſolùm Budensíque Baſilicæ, verùm & alijs mirâ liberalitate diſtribuit. Nepoti adhuc infanti è ſorore Dorothea, Joanni de Kunovicz villas & oppida cuncta, ſuâ virtute parta (inter alia, Hunno Brodam) legavit. Aureorum circiter quinquagies mille in ſacros uſus erogavit. Mox exactô annô, imploratâ publicè veniâ, tanquam ſi humanis excederet, complorante populo, & collachrymantibus amicis, accitis è Sileſia D. Franciſci Sacerdotibus, ſacrum ſumpſit habitum, & ab illis exceptus, conſcenſo curru, Wratislaviam vectus, ibíque in ſacro Franciſci collegio, die noctúque in divino cultu verſatus eſt. Tantum Hungaris Moravíſque ſui deſiderium hac inſigni emigratione reliquit, ut pientiſſimo quisque parente ac patrono efficaciſſimo ſe orbatum reputaret. *Peſſina in Marte Moravico.*

CAPUT

CAPUT XXX.

De Jure Postas seu cursus publicos instituendi.

I. **A**Ppellantur Postæ quasi positi, & in certis locis collocati, semperque in procinctu excubantes equi, ad cursus publicos peragendos idonei. *Budæ. in L. eos qui, ff. ad L. Cornel. de falſ. Et in L. fin. §. Hi quoque, ff. de muner. & honor. Alciat. ad tot. Tit. C. de cursib. public.* Porrò Jus Postarum, sive Jus instituendi cursus publicos, eorúmque Præfectos, qui vulgò die Postmeister/ appellantur, constituendi, soli Imperatori competere, colligitur ex *t. 1. C. de curſ. publ. lib. 12. L. fin. C. de Fabricenſ. lib. 11. utrobique Cuiac. L. studiorum, 6. in fin. C. de Mod. mulct. Vult. de Feud. c. 5. n. 3. Verbo Angaria. Menoch. 2. arb. Jud. caſ.* 219. Atque hi cursores equi ingentem conferunt utilitatem: tum quia Fisco vectigal inferunt; tum quia ad Reipublicæ securitatem plurimùm conducunt, *Jo. Cluten. in Syll. rerum quotid. concluſ. 22. lit. B.* eò quòd nihil magis sit è re Principatus alicuius, quàm si Princeps exploratum ha-

 beat,

beat, quid in quocunque sui Principatûs angulo geratur. *Sixtin. de Regal. lib.* 2. *c.* 13. *n.* 42. *Clapmar. lib.* 1. *de arcan. Rerump. c.* 21. *R. I. Norimberg. Anno* 1522. §. Item ist bedacht.

II. Potest Imperator Jus Postæ alijs concedere, & de facto concessit, ut infra dicetur, qui reliquos Imperiali concessione destitutos ab usu & exercitio Postæ arcere & impedire possunt. Ita factum Anno 1597. teste Klockio *Lib. de Contribut. cap.* 2. *num.* 28.

III. Jus Postæ ex concessione Cæsaris defacto competit Comitibus de Taxis Bruxellæ habitantibus, qui General-Postmeister vocantur in designatione der Kayserl. Majest. Ferdinandi II. ordentlichen Hoffstattes anno 1629. typis excusa, habéntque Jus Postarum in feudum masculùm in Imperio: in Provincijs verò hereditarijs Austriacis eo gaudent Comites de Baar.

CAPUT XXXI.

De Jure contrahendi Matrimonium.

I. Imperator & quivis alius Princeps contrahit validè Matrimonium coram illo, qui est Parochus

-rochus Palatij, in quo ordinariè residet: *Cardinal. de Lugo in Respons. Moral. lib. 1. dub. 37.*

II. Sed quid dicendum, si Cæsar per æstatem habitet in uno, & per hyemem in altero?

Respondeo, validum esse Matrimonium contractum coram Parocho utriusque Palatij seu loci. Quia unusquisque censetur habere duo domicilia habitationis, si in eis habitet æqualiter, non quidem mathematicè, sed moraliter.

CAPUT XXXII.

De Jure judicandi in causis magnis.

I. Causæ magnæ majores Judices requirunt, *text. ad hoc sing. in L. non distinguemus, §. de liberali. ff. de recept. arbit. & in c. 1. tit. apud quem controv. feudi definiatur, text. in L. 2. in fin. C. de pedan. Judic. gl. ibidem in Verb. dijudicent, text. in L. jam dudum; C. ubi causæ Status agi debeant.* Unde solus Imperator est Judex competens, quando de feudo Imperij, v. g. Ducatu, Principatu, Comitatu & inter duos Vasallos contentio oritur, prout expresè disponitur *in Ordin. Part. 2. tit. 7.*

 II. Fa-

II. Fatendum est quidem, Cameram Spirensem in causis minoribus posse uti jure præventionis, respectu Cæsaris, eò quòd concurrentem cum eo jurisdictionem habeat. At in casu prædicto utpote graviori ac proinde excepto, præventio in Camera locum non habet, sed solus Imperator judicat.

CAPUT XXXIII.

De Jure procedendi contra reum ex scientia privata, absque forma judiciali, & omisso Juris ordine.

I. QUamvis Judex in criminalibus debeat ordinariè procedere secundùm formam judicialem, id est, secundùm allegata & probata &c. & non solâ niti scientiâ privatâ; posset tamen Respublica statuere, ut Judex contra reum aliquem procedat sine forma judiciali: adeóque cùm id subinde sit necessarium Reipublicæ, potest ex justa causa id facere Imperator, aut alius supremus Princeps, in quem juxta *L.* 1. *ff. de constit. Princip.* populus omne suum imperium & potestatem

tem confert. Quando itaque Princeps ſupremus ſolus ſecretò ſcit aliquem grave malum contra Rempublicam machinari, & punire eum neceſſe eſt, neque id facere poteſt per ſententiam judicialiter latam, niſi cum tumultu civium vel militum, poteſt ex privatâ ſcientiâ jubere eum plecti.

II. Atque hoc tum præſertim verum eſt, quando crimen probabile eſt in judicio, v. g. notum tribus alijs; ita ut unus poſſit eſſe accuſator, & duo alij teſtes. Idem eſt, ſi crimen ſit notorium. Unde Princeps ſupremus, ſi videret aliquem admittere delictum coram aſtantibus ſufficientibus, ita ut manifeſtum ſit nullam delinquenti excuſationem competere, ſtatim auditis aſtantibus, alióque juris ordine omiſſo, ad punitionem procedere poſſet. Ita Farinacius *in Praxi criminal. qu.* 21. *num.* 72. Schildere *de principijs conſcient. tract.* 2.

CA-

CAPUT XXXIV.

De Jure mandandi, ut peragatur judicium Summarium.

SCotanus *in Exam. Juridico Pandect. part. 2. lib. 5.* ait judicium Summarium peragi posse, cùm Princeps (præsertim supremus, sive Cæsar) mandat. Porrò in varijs causis Principes mandare solent, ut fiat judicium Summarium.

I. Cùm personarum qualitas id exigit; ut si personæ sint miserabiles, incarceratæ &c. æquitas enim suadet, id his similibúsque personis indulgendum esse.

II. Cùm ita convenit inter partes.

III. Cùm id postulat qualitas rei controversæ: ut si sit res parvi præjudicij, vel si agatur de dilationibus, de cautione præstandâ, de dote, de alimentis, de honorarijs & mercedibus, de commissione ad examen testium, ad perpetuam rei memoriam &c.

IV. Cùm actionis qualitas id desiderat: ut in actione ad edendum, ad exhibendum, in causâ diffamationis *ex L. diffamari*; in causâ possessionum,

num, interdictorũ, missione in possessionem &c. Ceterùm judicium dicitur summarium, non quòd ea quæ ex naturâ rei requiruntur, ut petitio, citatio, probatio, sententia &c. omitti possint, sed quòd ordo judicialis non adeo anxiè observetur in proponendo negotio atque probando: quódque probationes plenissimæ non desiderentur præcisè.

CAPUT XXXV.

De Jure ferendi sententiam non conformem Libello.

POtest Imperator ferre sententiam non conformem Libello, ut asserit Bartolus in *L. Æmilius, circa finem, ff. de minoribus* 25. *annis*, hanc reddens asserti sui rationem, quòd Imperator, ut finem litibus imponat, possit hoc facere veritate inspectâ potiùs, quàm rigorositate. Idem docet Alexand. *in L. Vinum, Col. ult. ff. si cert. petatur.*

CAPUT XXXVI.

De Jure præsumptionis circa justitiam Rescriptorum.

PRo Imperatore, utpote supremo Principe, præsumitur, quòd sit bonus & justus, ac proinde Rescripta eius sunt secundùm justitiam intelligenda, Bald. *in L.* 1. *ff. de Constitut. Principum.* Quapropter voluntas Principis in dubio præsumitur esse talis, qualis esse debet de Jure, ut notat Baldus *in c. ex facto, in* 4. *notabili, ff. de vulg. & pup. & cap. Licet in corrigendis, de officio Ordinarij.*

CAPUT XXXVII.

De Jure quo Imperator testamentis derogare potest.

QUamvis voluntas testatoris regulariter servanda sit tanquam lex, & alienum sit a ratione, ut bona distrahantur, & occupentur contra domini voluntatem, ut decernitur *in cap. ul-*

tima

tima voluntas. 13. *quæst.* 2 & *Authentic. de nupt.* §. *disponat.* Nihilominus Princeps supremus non agnoscens aliũ superiorem in temporalibus, derogare potest testamento, & legato facto ad causam profanam, convertendo illud ex justâ causâ in aliam causam profanam, vel piam, si id exigat bonum publicum. Ratio est, quia hujusmodi Princeps, sicut potest subdito ex justâ causâ subtrahere bona; ita etiam à fortiori potest relicta in testamento, vel legato ad profanum usum, convertere in alium profanum vel pium usum.

CAPUT XXXVIII.

De Jure quo Imperator aliique Domini in Imperio subditos contumaces privilegijs privare possunt.

INdubitatum est, inter ceteras leviores pœnas, quibus subditi contumaces, & inobedientes plecti possunt, amissionem privilegiorum connumerari, *per textum in capit. tuarum, de privil.* Privilegia enim civibus & subditis benevolis non autem malevolis, & sic gratitudinis causâ, data

esse censentur, *textus in capit. ita nos 2. quæst. 2.* Cessante igitur causâ impulsivâ privilegij, cessat privilegium, *capit. cùm cessante, de appellat. gloss. in dict. capit. ita nos, in verbo cessante, textus in cap. Abbate, de verbor. significat.* Subditus igitur contumax & inofficiosus meritò privilegijs privatur; quia contumacia & inobedientia subditorum erga Dominos, est delictum, *textus in L. omne delictum. §. Contumacia. ff. de re militari* Sed privilegia ob delictum amittuntur, nullámque impunitatem delinquentibus tribuunt. *Text. in L. 2. Cod. de privileg. Scholar. lib. 12.*

CAPUT XXXIX.

De Jure quo Imperator aliique Domini in Germaniâ contra subditos contumaces, & in exhibitione operarum debitarum inobedientes, per arresta procedere possunt.

MOribus Germaniæ contra subditos contumaces & inobedientes, per arresta bonorum & personarum licitè proceditur à Dominis: ita ut

ut inculpatè bona eorum arreſtentur, perſonæ carceribus mancipentur, fructus fundi impediantur, pignorationes jumentorum fiant, villa ruſtica cum omnibus inſtrumentis quaſi ſequeſtrentur tantisper, donec obedientiam præſtent, & Dominis operas indictas pro conſuetudine & longâ poſſeſſione, officiosè edant. Nam operarum præſtationes, & debita ſubditorum ſervitia, fructus jurisdictionis ſunt, *per textum in L. fructus hominis, & in* L. *non hominis, ff. de operis ſervo.* & perinde à ſubditis exiguntur, ac pecunia credita, *textus in L. à duobus ff. de operis liberto.*

CAPUT XL.

De Jure arreſtandi plauſtra, jumenta & naves tempore belli aut alterius neceſſitatis occurrentis.

LIcitè fiunt ab Imperatore arreſta plauſtrorum, jumentorum, & navium tempore belli, vel ob aliam occurrentem neceſſitatem, ad vehenda currilia tormenta, militaria tabernacula, papiliones, ceteráque impedimenta itineri &

commeatui necessaria, quæ antiquitùs angariæ & perangariæ vocantur, & à Provincialibus tanquam munera personalia licitè exiguntur, *de quibus in titul. Codic. de cursu publico & perangarijs, lib.* 12. *& in titul. Cod. de anno. & tribut. lib.* 10. *text. in L.* 2. *Cod. quibus muneribus vel præstationibus nemini liceat se excusare, eo. Li.*

CAPUT XLI.

De Iure acceptandi donationem pro subdito.

POtest Imperator pro subdito acceptare promissionem lucrativam, vel donationem absenti factam. *Sanchez de Matrimonio lib.* 1. *disp.* 7. *num.* 12. *Covarruvi.* 1. *variar. c.* 14. *num.* 11. *Bonacina tom.* 2. *de Contr. d.* 3. *quæst.* 12. *p.* 3. *n.* 4. *Reginaldus L.* 25. *num.* 77. *Azorius & alij.* Qui Authores idem docent de quovis Principe, similibúsque personis curam aliorum gerentibus: cuiusmodi est Tutor respectu pupilli, Curator respectu furiosi.

CA-

CAPUT XLII.

De Jure cognoſcendi circa controverſias de ſeſſione & præcedentia Statuum Imperij.

AD claſſem eorum Jurium, quæ liberæ Imperatoris voluntati commiſsa ſunt, pertinet Jus cognoſcendi de ſeſſione & prærogativa Statuum Imperij, *Receſs. Imp. de anno* 1500. §. Wie die Irrung der *Seſſion*, *Receſſ. Imp. de anno* 1576. §. Ferner und zu dem ſibenden Articul/ ubi tamen obſervabis, quòd in dicto receſſu Imperator ex quolibet Collegio Imperiali adjunctionem perſonarum petierit, qui cum illius Commiſſarijs tales præcedentiæ quæſtiones examinent, quidque judicandum ſit, Imperatoriæ Majeſtati referre debeant.

CAPUT XLIII.

De Jure quod habet Imperator in Regem Bohemiæ tanquam subditum.

TAmetsi Rex Bohemiæ non sit Status Imperij (*Arumæus de Comit. cap.* 4.) ex hoc tamen non sequitur ipsum non esse subditum Imperij: cùm non modò fidelitatem, sed etiam obedientiam Imperatori ac Imperio juret: uti apparet ex Juramento fidelitatis à Rege Vladislào Friderico Imperatori præstito: **Dem Käyser vnd dem Reich getreu / gehorsam / vnd gewertig zu seyn / den Käyser vor seinen rechten Natürlichen Herrn zu halten / zu dienen &c.** quod juramentum refertur *in prætens. Bohem. deduct.* **in den Beylagen** *pag.* 54. Adhæc Regis Bohemiæ subjectio clarè probatur ex Aureâ Bullâ, quæ multa privilegia, jura ac immunitates Bohemiæ largitur: nam concessio hujusmodi vana esset, si concedenti, qui est Imperator, Bullæ Autor, nulla in Bohemiam Superioritas competeret. Privilegiorum námque concessio in eo, cui conceduntur, subjectionē arguit.

ANNO-

ANNOTATIO UNICA.

An Regi Galliæ debeatur præcedentia respectu Regis Romanorum electi, sed nondum coronati.

RESpondetur, Regem Romanorum propter spem à Jure approbatam de succedendo in Imperio, modico dignitatis intervallo ab Imperatore sejungi, *Can. in nomine dist.* 23. & *Clement.* 1. *Besold. Polit. tit.* 2. *de sess. præcedent. c.* 2. Ut proinde censeant Juris publici Professores (contradicente Chassanæo *in Catalogo Gloriæ mundi Part.* 5. *consid.* 29.) eum alijs Regibus ab Imperatore distinctis anteferendum esse. Unde mirantur nonnulli Regem Franciæ Carolo V. Romanorum Regi electo, sed nondum à Papa coronato, de loco digniori certamen movisse, cùm Anno 1521. ad Portum Caleti horum Principum Legati convenissent: existimante Antonio de Prato Regis Galliæ Cancellario, Carolum V. eò quod nondum unctus esset, Regi Franciæ uncto dignioris loci prærogativam concedere debere.

CAPUT XLIV.

De Jure procedendi contra Diffidatores.

I. Diffidatio dicitur denunciatio animi hostilis, quâ quis alij significat, se eum armis, igne, spolijs, rapinis persequuturum. Wann einer einem absaget / oder ihme Feindschafft zuschreibet / oder Brandzeichen stecket / und ihne mit Raub / Brand / Mord zu beschädigen betrohet / und befehdet / solches ist propriè für fehden zu achten.

II. Imperator potest procedere contra diffidatorem tanquam contra violatorem pacis publicæ. Ratio est, quia diffidatio est species fractæ pacis publicæ, & vindicatur ex Constitutione pacis publicæ, eandémque pœnam meretur, quam meretur pacis publicæ violatio. Reichs-Abschid zu Augspurg *de Anno* 1555. §. Wir ordnen / statuiren / und wollen. Wehn. *in obs. pract. verbo* befehden. Porrò tria Doctores requirunt tanquam requisita ad probandum diffidationem esse speciem fractæ pacis. 1. est vis publica. 2. vis cum impetu facta. 3. dolus malus.

CA-

CAPUT XLV.

De Iure Palatij, sive Curiæ & Residentiæ.

I. PRincipum palatia in civitatibus inter regalia recensentur, *in c. un. de reg. 2. Feud. 56. Sixtin. de reg. c. 17. n.* 1. cùm eiusmodi arces & palatia sint tribunalia ad jus reddendum parata, vel ad formandum consilium aulicum destinata: *Schuz. vol.* 1. *disp.* 6. *Tho.* 20. *Lit. D.* quæ est tessera Superioritatis.

II. Sub Saxonum & Suevorum Imperio, sedes Imperatoris fuit Goslaria extructa ab Henrico III. nigro dicto, ubi Imperator Otto I. II. III. Henricus IV. V. Lotharius II. Conradus III. Fridericus Barbarossa solemnes curias habuerunt. & Henricus II. dictus sanctus vel claudus, Bambergæ & Ratisbonæ, alij Imperatores sedem alibi habuerunt. *Cluten. in syllog. concl.* 26. *L. D.*

ANNOTATIO.

Refertur sententia Fritschij, in casu necessitatis deputantis pro palatio seu residentia Imperatoris civitatem Bambergensem.

TAmetsi hodie Vienna in Austria sit ordinaria Residentia Imperatoris, in casu tamen necessitatis mansioni Imperatoris ex mediatis civitatibus pro palatio seu residentia deputatam esse Bambergam, tradit Fritschius *ad L. unic. Cod. de Palatijs, Lib.* 11. *cap.* 6. *in fin.* ita ut si Imperator non habeat alium locum, ubi commorari possit, Episcopus Bambergensis teneatur dictâ civitate excedere, eámque Imperatori concedere, & se Villacum (quæ est civitas in Carinthia, ad Episcopatum Bambergensem pertinens) conferre. Idque refert ex Carvio *in disc. ad Aur. Bul. ex Lymnæo.*

CAPUT XLVI.

De Jure immunitatis sive securitatis proprij Palatij.

HOc Jus Chassanæus in Catalogo Gloriæ mundi *part.* 5. *num.* 125. in dissertationem adducit,

adducit, paritérque effectum illius his ipsis, quæ subijcio verbis, declarat. Ubi est Princeps inquit, ibi est securitas, & nulla formido, nisi vana, quæ non patrocinatur formidoloso. Ista sunt verba Bald. *in L. 1. C. de his, qui per metum Judicis non appellaverunt.* Hinc videmus palatia Principum importare talem securitatem, ut offendentes aliquem in illis capitaliter puniantur: & istud observatur in omnibus palatijs etiam Summi Pontificis: à quo Gallus quidam, qui alteri in palatio Pontificio alapam impegerat, ad suspendium damnatus fuit, non liberandus, nisi deprecatio boni amici intervenisset. Accidit hoc Bononiæ tempore Julij Papæ; cùm Ludovicus XII. Rex Galliæ Bononiam armis suis captam Papæ liberè restituisset.

CAPUT XLVII.

De Iure bonorum spectantium ad eos, qui incæstas nuptias contrahunt.

I. HOc Jus inter Regalia Cæsaris referendum esse constat ex *Novel. 22. §. Sancimus.* Sed ut in novis Constitut. continetur, additur, *in cap.*

un. 2. *feud.* 56. *idest in Nov.* §. *sancimus.* ut velit ea deferri fisco, & Cæsari, deficientibus descendentibus.

II. Quòd si quæras, an ab hoc Jure recessum sit per *Nov.* 134. *ut nulli Jud.* § *fin.* & *quod Nov.* 17. *de mand. Princ.* §. *oportet.* ubi bona reservantur generi sivè toti agnationi, si quis ob crimen damnatus sit?

III. Ad hoc quæsitum respondet Hermes negativè *cap.* 11. *num.* 259. *In Fasciculo Jur. publ. cum declaratione adjuncta.*

Annotatio.

An eodem modo pœna publicationis bonorum locum habeat, si sponsalia istis gradibus contrahantur?

In dubio isto, responsio negativa placet, quia nec *Justin. in Nov.* 12. *nec L. si. Cod. de incæst. quis nupt. nec C. un. quæ sint regal.* de incæstis sponsalibus sed nuptijs meminit, unde lex pœnalis sine ratione non est extendenda; prout in simili, si quis officium in Provincia administrat, licet uxorem inde oriundam, vel domicilium ibi habentem ducere prohibeatur, id tamen non obtinet,

net in sponsalibus, *L. si quis officium. de rit. nupt.* Item mulier intra luctûs tempora nubens punitur, non etiam si sponsalia tantùm contrahat, *L. solet. §. de his qui not. inf.* donationis quóque inter conjuges prohibitio ad sponsas non porrigitur, *L. cum hic status. §. si sponsam.*

CAPUT XLVIII.

De Iure ad bona proscriptorum, & damnatorum.

HOc Jus ad Regalia Imperialia pertinere colligitur ex eo, quòd pœnis capitalibus *in L. 28. de pœnis.* recensitis semper annexa sit confiscatio bonorum. Pertinet autem hoc jus ad Regalia, prout in novis Constitutionibus continetur; sic verò in illis continetur, ut bona damnatorum (citra crimen Majestatis) reserventur descendentibus, & ascendentibus usque ad tertium gradum: imò etiam hoc modo (si verum est quod docet Irnerius *in Auth. bona damn.*) reserventur fratribus, sororibus, aliisque collateralibus.

ANNOTATIO.

An confiscatis bonis filiifam. ob delictum, etiam peculium adventitium publicabitur?

PRobabilius est, proprietatem quam habet filius in peculio suo adventitio, esse confiscationi obnoxiam salvo usufructu, quem Pater in eodem peculio obtinet, *L. si postulaverit. §. jubet. ad L. Jul. de adult.* 2. *per L.* 3. *Cod. de bon. damn. Fach.* 9. *cont.* 47.

CAPUT XLIX.

De Iure pœnarum & mulctarum.

I. EAdem est pœnarum mulctarúmque necessitas & ratio, videlicet, Reipublicæ salus, ne delicta maneant impunita, *L.* 51. *ad L. aquil. c. ut famæ. de sentent. excom.* cùm enim ea sit hominum improbitas, ut præmiorum promissione multi à malo ad bonum non inducantur, necessaria est pœnarum irrogatio (in quibus duobus justitia distributiva consistit, *L.* 1. *§.* 1. *de Jur. & Justit.*) ne scilicet Leges sint contemptui, & Respublica pessum cogatur ire, inter probos quoque & improbos tuta maneat innocentia. II. In-

II. Inter pœnam & mulctam plures sunt differentiæ, *L. aliud.* §. *inter mulctam.* Nam I. mulcta speciale, pœna verò generale nomen est, & differunt tanquam genus & species. II. Mulcta secum infamiam non trahit sicut pœna, *L.* 1. *Cod. de mod. mulct.* III. Mulcta si non lege expressè constituta est, est in arbitrio judicis; Pœnæ autem communiter certæ sunt, *L.* 1. §. 1. *calumniatoris ad S.C. Turpil.* ideóque judex nec lege durior, nec clementior esse debet, nisi circumstantiæ id suadeant. *Mynf.* 2. *obf.* 54. *Geil. de p. publ. L.* 162. *c.* 9. *n.* 22.

III. Tam pœnam, quàm mulctam Imperatori deberi, probat *L. mulctarum Cod. de mod. mulct.* Cui adjungo *L.* 1. §. *fin. de amb.* L. 3. *de term. mot. L.* 3. §. *divus de sep. viol.*

IV. Minores Magistratus municipales licèt Jurisdictionem habeant L. *fin. de judicijs.* jus tamen mulctæ dicendæ non habent principaliter, L. *Procuratores.* 2. & L. *Curatores.* 5. *Cod de mod. mulct.* licèt habeant incidenter, quando una pars in causa civili est contumax, L. 1. *ff. si quis jus dic.* Præfectus Prætorius (qui proximus erat post Cæsarem) poterat etiam ob gravissima crimina

Dd usque

usque ad 60. libras auri jus dicere. *L. illustris. 4. Cod. de mod. mulct.* Legatum quoque Principis mulctare posse, quia major est quovis Ordinario, tradit Menoch. *de arbit. jud. de modo mulct. n. 8.* sed id ab alijs in dubium vocatur. Princeps statuit modum, ad quem Magistratus multam possit indicere, sic Præses potest usque ad duas uncias auri condemnare, Proconsul ad 6. unicas, ceteri ad tres uncias, quæ tamen non videntur esse ampliùs in usu & observantia.

CAPUT L.

De Jure bonorum vacantium.

BOna vacantia dicuntur, quæ legitimo herede destituuntur; in quo casu ea sibi vendicat Imperator. Ac licèt Bodinus, 1. *de Republ. cap. ult.* bona vacantia, quæ herede destituuntur, ad jura Majestatis pertinere neget, sed à quovis vindicari posse sentiat, *per L. 1. pro derelict.* soli tamen Majestati vindicatio hæc competit primò & per se, nec facit *d. L. 1.* quia alia sunt bona vacantia, alia pro derelicto habita; hæc enim talia dicuntur, si post certũ terminum, & factas proclamationes domi-

dominus inventus non fuerit, cùm bona vacantia dicantur, quando nemo est, ad quem de jure bonorum possessio devenire potest. *L.* 1. *Cod. si lib.* 10. Hæc autem sine dubio Fisco vindicari constat ex *L. vacantia. Cod. de bon. vacan. lib.* 10. *L. si quid. Cod. de bon. proscript.*

ANNOTATIO.

An Jus bonorum vacantium possit per consuetudinem acquiri à civitatibus municipalibus?

Respondetur negativè *ex L. fin. Cod. si contra jus vel util.* cum Peregrin. *de jure Fisci lib.* 4. *c.* 3. *Vult.* 1. *Feud. c.* 5. *n.* 7.

CAPUT LI.

De Jure bonorum ob crimen læsæ Majestatis confiscatorum.

I. Competit Imperatori Jus ad bona committentium crimen læsæ Majestatis, *per L. quisquis. C. ad L. Iul. Majestatis.* Committebatur autem olim hoc crimen adversus populi Romani securitatem. Nunc verò mutatâ Reipub-

licæ formâ, translatâ poteſtate in Principem, *L. 1. de Conſt. Princ.* ad noſtra tempora reſpiciendo, hoc crimen committitur, quando ſubditus contra Principem vel Rempublicam non recognoſcentem Superiorem aliquid molitur, vel ad hoſtes fugit, eos adjuvat armis, pecuniâ, conſiliô, nuncios vel literas ijs mittit, ſecreta nunciat, vel ſubditas provincias nititur facere rebelles, arma contra Principem vel Rempublicam ſumit, vel de his ſcientiam habens non revelat, vel aliud quid dolo malo facit, quo Princeps vel Reſpublica directè damnum patiatur. Ita Gigas *in h. tract. pag.* 10.

II. Propriè autem committitur à ſubditis in ſuum Principem, *Clem. Paſtoralis de re judic. Gigas quæſt.* 3. Licèt enim Majeſtas veneranda ſit ab omnibus, non tamen idem gradus venerationis eſt.

III. Crimini huic dicto vel facto commiſſo, pænæ conſtitutæ variæ, in & extra bona. Prima eſt pæna capitis cum infamiâ, *ex L. 12. tab. L. 3. ff. h. t.* Hodie verò rei aliquando comburuntur, quandóque diſſectione in 4. partes plectuntur, quæ locis altioribus ſuſpenduntur, quandóque forcipi-

forcipibus aduruntur ardentibus, & ad locum supplicij trahuntur, mulieres verò (quæ nonnunquam mitiùs, quàm viri puniuntur, *L.* 6. *ad L. Iul. pecul. L.* 38. §. 2. *ad L. Iul. de adult.*) submerguntur, *Const. Carol. art.* 124.

III. Insuper eorum, qui huius criminis rei sunt, memoria damnatur, bona in fiscum inferuntur, insignia deijciuntur, ædes demoliuntur, privilegia adimuntur. L. *quisque.* 5. *Cod. ad L. Iul. Majest.*

Annotatio I.

An accusatus hoc crimine, pendente lite sit alendus ex suis bonis?

Responsio est affirmativa, *per L. ait prætor. §. si fundus. de jure dot. Gig. q.* 26. *Laudensis in tract. de Fisco. q.* 252.

Annotatio II.

An hodie etiam crimen læsæ Majestatis in Imperium Romano-Germanicum committi dicatur?

De jure veteri ante Legem regiam hæc res caruit dubio, *L.* 1. §. 1. *h.* Veruntamen etiam post translatum omne Imperium in Principem

committi probat §. *pulchra.* 2. *de publ. jud.* & consequenter hodie committitur, cùm etiam hodie in Imperio supersit adhuc Majestas realis, sicut in Imperatore est personalis, quæ realis post Legem regiam mansit, *L.* 7. §. 1. *de capt. & post.* quamvis eius effectus non semper appareant, sed durante Majestate personali dormiant quodammodo, & sint ut rosa in hieme, eámque in omni Republicâ agnoscit Besold. 22. *polit. c.* 2. *n.* 4.

Annotatio III.

An committi etiam dicatur crimen læsæ Majestatis in Imperatricem?

REspondetur affirmativè, *per L. Princeps. ff. de Legib. add.* §. *fin. de usucap. junct. Nov.* 8. *c.* 1.

Annotatio IV.

Quid de eo, qui offendit Legatum Papæ vel Cæsaris?

REspondetur, reum hoc crimine esse, si offenditur in contemptum legantis, secus si ex odio privato. *Gigas q.* 6. & 16.

CAPUT LII.

De Jure venandi & piscandi.

I. VEnationem esse unum ex Regalibus Imperatoris, eruitur ex *cap. un. quæ sint Regal.* Ubi piscationis redditus Regalibus annumerantur; ferarum autem venatio nobilior est piscatione. Itaque Lex magis dubium de piscatione decidens eo ipso etiam minus dubium de venatione decidisse videtur, *L. non debet, de R. I. L. nec in ea, ad L. Iul. de adult.* Et licet id decisum non esset, consuetudo tamen totius Germaniæ hoc strictè observans dubitationem tolleret. Hinc etiam olim Imperatores Germanici ordinarium Imperij venatorem habuerunt; & Archidux Austriæ Rudolphus IV. se Archi-venatorem Imperij scripsit (verba sunt Hermetis *in Fasciculo Juris publici cap.* 11.) quod officium ad Duces Wirtenbergicos jam devenit, ut illud eorum insignia testantur, non minùs, quàm Vexilliferatum Imperij. Ita Hermes citatus.

II. Jus venandi acquiritur, si quis adversario sciente & patiente, longissimo tempore in silva

cius

eius venatus sit. *Alstedius in Encyclopædia Tom. 5. lib. 26.*

III. Qui alienum fundum venandi gratiâ ingreditur, potest à domino id prævidente prohiberi, ne ingrediatur. Quia vim & injuriam facere videtur, qui invito domino in eius fundo versatur. Quod dixi de venatione, intelligendum est etiam de aucupio & piscatione.

Porrò licet ingressus in alienum fundum venandi aucupandi aut piscandi gratiâ sit prohibitus, non ideo tamen feræ captæ in hoc casu restituendæ sunt, si communes sint. Manent itaque feræ huiusmodi captæ in dominio capientis: & tam diu manent, quàm diu in ipsius custodiâ continentur & coërcentur. Cùm verò evaserint capientis custodiam, & in libertatem naturalem sese receperint (quod tunc fit, quando vel oculos capientis penitus effugerint: tunc enim dominus censetur animum possidendi abijcere: vel ita fuerint in conspectu, ut difficilis sit earum persecutio) tunc possessione ademptâ, & dominij causâ mutatâ, ipsius esse desinunt, & rursum fiunt occupantis. Nam causa dominij est possessio, quæ aliquamdiu retinetur animo, quam diu fera in

pro-

propinquo est. *Casparus Manzius in lib. 2. Institutionum.*

IV. Ea quæ in alieno laqueo aut reti capiuntur, esse capientis, docent *Navarrus c. 17. n. 179. Joan. Maior. 4. d. 15. q. 10. & alij.* Sa verò cum alijs negat. Alij distinctione utentes: Si, aiunt, fera laqueo alieno capta non putetur laqueum evasura, ad eum qui laqueum paravit pertinet: si evadere probabiliter poterat, debebit capiens partem feræ, aut valorem ad arbitrium boni viri domino laquei dare. *Silvest. V. Inventum. q. 2. Molin. d. 42.* At Corduba *q. 119.* censet loci consuetudinem esse servandam.

Annotatio I.

An venatio alaudarum sit cuilibet libera?

Communiter dicitur hoc Jus venandi debere cuilibet esse liberum, maximè in agro proprio, sicuti multis in Imperio locis, & ubique ferè receptum esse, testatur Kyllinger *de jure venandi, concl. 19. lit. a.* In terris autem Turingiæ aliud obtinere, usu docemur. Vid. *Corpus Juris venatorio-Forestal. Part. 3.* Das Lerchenstreichen ist vermög publicirter Churf. Sächs. Mandaten de an-

nis 1565. 1603. der Baurschafft / Müssigängern und anderem gemeinem Volck bey willkührlicher Straff verbotten / und wird es mit demselben / als wie es mit dem Niderweidwerck gebräuchlich / gehalten.

Annotatio II.

An Principes ac Status Imperij habeant Jurisdictionem Forestalem?

De consuetudine Germaniæ Principibus ac Statibus Imperij competit Jurisdictio Forestalis, vulgò appellata, **die forstliche Obrigkeit**: uti testantur Heigius *quæst.* 15. *num.* 45. Matthæus Stephanus *de Jurisd. lib.* 2. *part.* 1. Sixtinus *de Regalib. lib.* 2. *c.* 18. Atque hæc jurisdictio forestalis latiùs patet quàm jus venandi, vulgò **Wildbahns-Gerechtigkeit**. *Harprecht. Instit. de rer. divis.* eò quòd jus venandi solummodo jus imperandi, prosequendi, capiendi feras in se contineat: jurisdictio autem Forestalis, præter capturam ferarum, jus prohibendi, & mulctandi complectatur (**Forstliche Gebott und Verbott anzulegen**) & Juri territoriali cohæreat. *Arumæus vol.* 1. *fol.* 274. Ad quam distinctionem in concessionibus Pri[illegible] dvertendum esse, re-

ctè

ctè monet Harprechtus citatus. Neque enim qui à Principe impetravit Jus venationis, jurisdictionem forestalem impetrasse censendus est; Cùm jus venationis sit tantùm pars Jurisdictionis forestalis, quæ duas complectitur partes, videlicet Bannum ferinum, Wildbahn / & Jus Foresti, Forstrecht: quæ duo conjunctim habere debet, qui jurisdictionem forestalem sibi asserit. Eorum primum, uti dixi, in Imperio ferarum consistit, posterius verò in jure præcipiendi & prohibendi de rebus ad venationem spectantibus: prohibendi item, ne arbores exscindantur, ne abusus in lignando & pasculando committatur &c. *Forster. process. Camer. tit.* 5. *fol.* 807. Porrò prædictas operas ad venationem requisitas subditi proprijs sumptibus præstare tenentur. Hæc verò jura regulariter juri venandi non cohærent; ita ut venationem proprijs sumptibus exercere teneantur, qui cum jure venandi simpliciter & purè investiti sunt; ita ut præter jus venandi ipsis nihil aliud expresse concessum sit. *Beckers in synops. Iur. publ. lib.* 3. *c.* 4.

ANNOTATIO III.

Leonis X. Pontificis Maximi indefessum venandi studium.

LEo X. Papa venationibus & aucupijs nobilioribus adeò delectabatur, ut spurcissimas sæpè tempestates, insalubrésque ventos & frequentia mansionum ac itinerum incommoda contemneret: confisus ætati ac firmæ valetudini, quam equitatione varióque motu corporis se tueri posse existimabat; Manlianam villam secundùm Tiberim quinto ab urbe lapide, quanquam proximi stagni halitu, & caliginosi aëris intemperie, prope toto anni tempore infamem, hieme maximè frequentabat. Ex eâ enim veluti ex portu venatorum classes in subiectos salinarum campos cervorum copiâ celebres educebantur. In venando autem sicuti præcepta artis ad normam exactioris disciplinæ patientissimè observare erat solitus, ita severitatem asperè admodùm, vir alioqui lenissimus, semper exercuit, in eos præsertim qui petulanti discursu, aut vocibus temerè editis, improvisa feris effugia præbuissent: ita ut claros sæpè viros acerbissimis contumelijs oneraret. At si

quando imperitiâ, vel fortuito errore hominum, aut feris subtiliore aliquo insperatæ fugæ compendiô servatis, vel ijs denso in nemore contumaciùs latentibus infeliciter venaretur, incredibile est, quali vultûs animíque habitu dolorem iracundiámque præferret. Propterea amici familiares ea temporis momenta provocandæ liberalitati maximè adversa sedulò devitabant: quando aliàs secundùm opimam venationem, ac præsertim vario ac insigni labore aliquo nobilem, maxima beneficia incredibili benignitate collocaret. Ipso fermè semper æstatis exitu, quum primùm cælum pleniore pluviâ temperatum foret, ac insalubres æstus frigidiore aurâ mitescere viderentur, urbe statim Viterbium ad aquas calidas evolabat, ubi coturnicum, perdicúmque & phasianorum aucupijs aliquandiu erat intentus, quod genus avium accipitribus ac asturibus arte edoctis singulari cum voluptate sectabatur. Ad Vulsinios demùm propter lacûs amænitatem, ac eximiam ejus tractus rerum omnium fertilitatem, ex itinere deflectebat, & in insula & ad exitum Martæ amnis piscabatur. Inde per Tuscum agrum venabundus modicis itineribus ad mare

circa Graviscas, & Centumcellas descendebat. Quo viæ flexu apud Cornetum in Tarquiniensi longè celeberrima cervorum aprorúmque venatio parabatur. Sub ipsas demùm Novembris Calendas à Centumcellis per Alsium & Cereveteris silvas in urbem redibat, nec multò post in Manlianum revertebatur: vixque inde revelli poterat, nisi aut Senatûs habendi, aut solennium Sacrorum causâ ad urbem vocaretur. Erat enim is locus edendis ardearum ac milvorum prælijs peridoneus, quæ geminis, aut pluribus mansuefactis falconibus in sublime manu emissis adversus id genus avium, vario, ac ob id maximè spectabili eventu per immensa cæli spatia miscebantur. *Iovius in eius vitâ lib. 4.*

ANNOTATIO IV.

De varijs Principibus venationi supra modum deditis.

I. HErodes Magnus Judæorum Rex venator peritissimus fuit, & equo dexterrimè utebatur, ita ut uno die 40. feras, cervos, apros &c. sua manu confecerit. *Iosephus lib. 1. cap. 16. de bello Iudaico.* II. Mi-

II. Mithridates Asiæ & Ponti Rex potentissimus, exercitationi & venandi studio adeò intentus fuisse dicitur, ut septem annis neque urbis, neque ruris tectô uteretur. *Volat. lib.* 18. *Anth.*

III. Adrianus Imperator, ut Dion scribit, venandi studiò usque ad infamiam & periculum tenebatur: nam inter venandum diffractô humero, & crus penè contrivit. Urbem præterea (postquàm imperium assecutus est) in Mysia condidit, quam Adriani venatica septa nominavit. Et quanquam huic rei assiduam operam daret; nihil tamen eorum neglexit, quæ ad administrandam Rempublicam & Imperij commoda pertinerent. Quantoperè item venationi intentus fuerit argumentum est Borysthenes equus, quo in venando plurimùm utebatur: cui mortuo sepulchrum fecit, columnam erexit, & epigramma inscripsit. Sed in venando tanti roboris fuit, ut suem eximiæ magnitudinis solus uno ictu occiderit. Id studium multi Principum imitantur. *Cusp. ex Dione & Suet.*

IV. Andronicus junior Imperator canes & aves venaticas magnô alebat numerô: quibus ita erat deditus, ut si quis eum aditurus, canem aut avem

avem offerret, facillimè compos voti redderetur. *Gregoras lib.* 11.

V. Henricus I. Imperator plurimùm venationi studuit, & in illâ fuit exercitatissimus, ita ut etiam in levissimâ venatione quadraginta feras aut plures conficeret. *Hedio in Chronico Germ.*

VI. Albertus I. Imperator dicere solebat, venationem esse virilem exercitationem, saltationem verò muliebrem: seque voluptate quâvis aliâ carere posse, venatione verò minimè. *Jo. Peregrinus Petrosel. in Convival. quæst.*

VII. Sylvanectum Carolus VI. Francorum Rex venandi causâ se contulerat. Canum latratibus excitatus in fugam cervus æneo torque visus, quem venabulis, aut jaculô, aut ferrô appeti Rex prohibens, in casses & retia compulit. Erat in torque literis latinis inscriptum: *Hôc me Cæsar donavit.* Ex eo tempore Carolus cervum alatum auream coronam collô gestantem pro insigni habuit, & regijs insignibus, quæ lilijs aureis tribus constant, hinc atque hinc cervi duo apponi consueverunt. *Guagninus lib.* 9. *cap.* 3.

VIII. Muleasses Tunetanus Rex non multis ex quo imperâsset annis, ducentos amplius jubatos

tos leones in silvis equestri lanceâ confixit, quorum tergora siccata repletáque paleis, ad imaginem vivorum, testimonium virtutis, tanquam decora proximáque militiæ honestissimæ exercitationis trophæa, in peramplis hortorum porticibus spectabantur. *Sabell. supplem. lib.* 27. *ex Jovio.*

IX. Viriatus Lusitanus cùm pastor esset, militarem disciplinam ex solâ venatione didicit, cui operam dedit: & à venatoribus Dux factus, cùm nulla generis aut majorum commendatione clarus esset, universum Hispaniæ exercitum magnâ cum laude contra Romanos integrô decenniô duxit. *Olaus lib.* 18. *cap.* 42. *Region. Septentr.*

ANNOTATIO V.

De Barnaba Vice-Comite venatore injusto & crudeli.

BArnabas Vicecomes, inexpiabili populi odio in se concitato, infamis avaritiæ nomen immani crudelitate cumulavit. Nam præter perpetua inclementer imperatæ atque exactæ pecuniæ detrimenta illata populis: non etiam absque atrocissimâ lege promulgata, inquiri comprehendíque eos jusserat, qui quinquennio ante contra

eius venatus sit. *Alstedius in Encyclopædia Tom. 5. lib. 26.*

III. Qui alienum fundum venandi gratiâ ingreditur, potest à domino id prævidente prohiberi, ne ingrediatur. Quia vim & injuriam facere videtur, qui invito domino in eius fundo versatur. Quod dixi de venatione, intelligendum est etiam de aucupio & piscatione.

Porrò licet ingressus in alienum fundum venandi aucupandi aut piscandi gratiâ sit prohibitus, non ideo tamen feræ captæ in hoc casu restituendæ sunt, si communes sint. Manent itaque feræ huiusmodi captæ in dominio capientis: & tam diu manent, quàm diu in ipsius custodiâ continentur & coërcentur. Cùm verò evaserint capientis custodiam, & in libertatem naturalem sese receperint (quod tunc fit, quando vel oculos capientis penitus effugerint: tunc enim dominus censetur animum possidendi abijcere: vel ita fuerint in conspectu, ut difficilis sit earum persecutio) tunc possessione ademptâ, & dominij causâ mutatâ, ipsius esse desinunt, & rursum fiunt occupantis. Nam causa dominij est possessio, quæ aliquamdiu retinetur animo, quam diu fera in

pro-

propinquo est. *Casparus Manzius in lib.* 2. *Institutionum.*

IV. Ea quæ in alieno laqueo aut reti capiuntur, esse capientis, docent *Navarrus c.* 17. *n.* 179. *Joan.Maior.* 4.*d.*15. *q.* 10. *& alij.* Sa verò cum alijs negat. Alij distinctione utentes: Si, aiunt, fera laqueo alieno capta non putetur laqueum evasura, ad eum qui laqueum paravit pertinet: si evadere probabiliter poterat, debebit capiens partem feræ, aut valorem ad arbitrium boni viri domino laquei dare. *Silvest. V. Inventum. q.* 2. *Molin. d.* 42. At Corduba *q.* 119. censet loci consuetudinem esse servandam.

ANNOTATIO I.

An venatio alaudarum sit cuilibet libera?

COmmuniter dicitur hoc Jus venandi debere cuilibet esse liberum, maximè in agro proprio, sicuti multis in Imperio locis, & ubique ferè receptum esse, testatur Kyllinger *de jure venandi, concl.* 19. *lit. a.* In terris autem Turingiæ aliud obtinere, usu docemur. Vid. *Corpus Juris venatorio-Forestal. Part.* 3. Das Lerchenstreichen ist vermög publicirter Churf. Sächs. Mandaten de an-

nis 1565. 1603. der Baurschafft/ Müssigängern und anderem gemeinem Volck bey wilkührlicher Straff verbotten / und wird es mit demselben / als wie es mit dem Niderweidwerck gebräuchlich/ gehalten.

ANNOTATIO II.

An Principes ac Status Imperij habeant Jurisdictionem Forestalem?

DE consuetudine Germaniæ Principibus ac Statibus Imperij competit Jurisdictio Forestalis, vulgò appellata, **die forstliche Obrigkeit**: uti testantur Heigius *quæst.* 15. *num.* 45. Matthæus Stephanus *de Jurisd. lib.* 2. *part.* 1. Sixtinus *de Regalib. lib.* 2. *c.* 18. Atque hæc jurisdictio forestalis latiùs patet quàm jus venandi, vulgò **Wildbahns-Gerechtigkeit**. *Harprecht. Instit. de rer. divis.* eò quòd jus venandi solummodo jus imperandi, prosequendi, capiendi feras in se contineat: jurisdictio autem Forestalis, præter capturam ferarum, jus prohibendi, & mulctandi complectatur (**Forstliche Gebott und Verbott anzulegen**) & Juri territoriali cohæreat. *Arumæus vol.* 1. *fol.* 274. Ad quam distinctionem in concessionibus Principum diligenter animadvertendum esse, re-

ctè

ctè monet Harprechtus citatus. Neque enim qui à Principe impetravit Jus venationis, jurisdictionem forestalem impetrasse censendus est; Cùm jus venationis sit tantùm pars Jurisdictionis forestalis, quæ duas complectitur partes, videlicet Bannum ferinum, **Wildbahn** / & Jus Foresti, **Forstrecht**: quæ duo conjunctim habere debet, qui jurisdictionem forestalem sibi asserit. Eorum primum, uti dixi, in Imperio ferarum consistit, posterius verò in jure præcipiendi & prohibendi de rebus ad venationem spectantibus: prohibendi item, ne arbores exscindantur, ne abusus in lignando & pasculando committatur &c. *Forster. processf. Camer. tit.* 5. *fol.* 807. Porrò prædictas operas ad venationem requisitas subditi proprijs sumptibus præstare tenentur. Hæc verò jura regulariter juri venandi non cohærent; ita ut venationem proprijs sumptibus exercere teneantur, qui cum jure venandi simpliciter & purè investiti sunt; ita ut præter jus venandi ipsis nihil aliud expresse concessum sit. *Beckers in synopf. Iur. publ. lib.* 3. *c.* 4.

Annotatio III.

Leonis X. Pontificis Maximi indefessum venandi studium.

LEo X. Papa venationibus & aucupijs nobilioribus adeò delectabatur, ut spurcissimas sæpè tempestates, insalubrésque ventos & frequentia mansionum ac itinerum incommoda contemneret: confisus ætati ac firmæ valetudini, quam equitatione varióque motu corporis se tueri posse existimabat; Manlianam villam secundùm Tiberim quinto ab urbe lapide, quanquam proximi stagni halitu, & caliginosi aëris intemperie, propè toto anni tempore infamem, hieme maximè frequentabat. Ex eâ enim veluti ex portu venatorum classes in subiectos salinarum campos cervorum copiâ celebres educebantur. In venando autem sicuti præcepta artis ad normam exactioris disciplinæ patientissimè observare erat solitus, ita severitatem asperè admodùm, vir alioqui lenissimus, semper exercuit, in eos præsertim qui petulanti discursu, aut vocibus temerè editis, improvisa feris effugia præbuissent: ita ut claros sæpè viros acerbissimis contumelijs oneraret. At si

quando

quando imperitiâ, vel fortuito errore hominum, aut feris subtiliore aliquo insperatæ fugæ compendiô servatis, vel ijs denso in nemore contumaciùs latentibus infeliciter venaretur, incredibile est, quali vultûs animíque habitu dolorem iracundiámque præferret. Propterea amici familiares ea temporis momenta provocandæ liberalitati maximè adversa sedulò devitabant: quando aliàs secundùm opimam venationem, ac præsertim vario ac insigni labore aliquo nobilem, maxima beneficia incredibili benignitate collocaret. Ipso fermè semper æstatis exitu, quum primùm cælum pleniore pluviâ temperatum foret, ac insalubres æstus frigidiore aurâ mitescere viderentur, urbe statim Viterbium ad aquas calidas evolabat, ubi coturnicum, perdicúmque & phasianorum aucupijs aliquandiu erat intentus, quod genus avium accipitribus ac asturibus arte edoctis singulari cum voluptate sectabatur. Ad Vulsinios demùm propter lacûs amænitatem, ac eximiam ejus tractus rerum omnium fertilitatem, ex itinere deflectebat, & in insula & ad exitum Martæ amnis piscabatur. Inde per Tuscum agrum venabundus modicis itineribus ad mare

circa Graviscas, & Centumcellas descendebat. Quo viæ flexu apud Cornetum in Tarquiniensi longè celeberrima cervorum aprorúmque venatio parabatur. Sub ipsas demùm Novembris Calendas à Centumcellis per Alsium & Cereveteris silvas in urbem redibat, nec multò post in Manlianum revertebatur: vixque inde revelli poterat, nisi aut Senatûs habendi, aut solennium Sacrorum causâ ad urbem vocaretur. Erat enim is locus edendis ardearum ac milvorum prælijs peridoneus, quæ geminis, aut pluribus mansuefactis falconibus in sublime manu emissis adversus id genus avium, vario, ac ob id maximè spectabili eventu per immensa cæli spatia miscebantur. *Iovius in eius vitâ lib. 4.*

ANNOTATIO IV.

De varijs Principibus venationi supra modum deditis.

I. HErodes Magnus Judæorum Rex venator peritissimus fuit, & equo dexterrimè utebatur, ita ut uno die 40. feras, cervos, apros &c. sua manu confecerit. *Iosephus lib. 1. cap. 16. de bello Iudaico.*

II. Mi-

II. Mithridates Asiæ & Ponti Rex potentissimus, exercitationi & venandi studio adeò intentus fuisse dicitur, ut septem annis neque urbis, neque ruris tectô uteretur. *Volat. lib.* 18. *Anth.*

III. Adrianus Imperator, ut Dion scribit, venandi studiô usque ad infamiam & periculum tenebatur: nam inter venandum diffractô humero, & crus penè contrivit. Urbem præterea (postquàm imperium assecutus est) in Mysia condidit, quam Adriani venatica septa nominavit. Et quanquam huic rei assiduam operam daret; nihil tamen eorum neglexit, quæ ad administrandam Rempublicam & Imperij commoda pertinerent. Quantoperè item venationi intentus fuerit argumentum est Borysthenes equus, quo in venando plurimùm utebatur: cui mortuo sepulchrum fecit, columnam erexit, & epigramma inscripsit. Sed in venando tanti roboris fuit, ut suem eximiæ magnitudinis solus uno ictu occiderit. Id studium multi Principum imitantur. *Cusp. ex Dione & Suet.*

IV. Andronicus junior Imperator canes & aves venaticas magnô alebat numerô: quibus ita erat deditus, ut si quis eum aditurus, canem aut avem

avem offerret, facillimè compos voti redderetur. *Gregoras lib.* 11.

V. Henricus I. Imperator plurimùm venationi studuit, & in illâ fuit exercitatissimus, ita ut etiam in levissimâ venatione quadraginta feras aut plures conficeret. *Hedio in Chronico Germ.*

VI. Albertus I. Imperator dicere solebat, venationem esse virilem exercitationem, saltationem verò muliebrem: seque voluptate quâvis aliâ carere posse, venatione verò minimè. *Jo. Peregrinus Petrosel. in Conviual. quæst.*

VII. Sylvanectum Carolus VI. Francorum Rex venandi causâ se contulerat. Canum latratibus excitatus in fugam cervus æneo torque visus, quem venabulis, aut jaculô, aut ferrô appeti Rex prohibens, in casses & retia compulit. Erat in torque literis latinis inscriptum: *Hôc me Cæsar donavit.* Ex eo tempore Carolus cervum alatum auream coronam collô gestantem pro insigni habuit, & regijs insignibus, quæ lilijs aureis tribus constant, hinc atque hinc cervi duo apponi consueverunt. *Guagninus lib.* 9. *cap.* 3.

VIII. Muleasses Tunetanus Rex non multis ex quo imperâsset annis, ducentos ampliùs jubatos

tos leones in silvis equestri lanceâ confixit, quorum tergora siccata repletáque paleis, ad imaginem vivorum, testimonium virtutis, tanquam decora proximáque militiæ honestissimæ exercitationis trophæa, in peramplis hortorum porticibus spectabantur. *Sabell. supplem. lib.* 27. *ex Jovio.*

IX. Viriatus Lusitanus cùm pastor esset, militarem disciplinam ex solâ venatione didicit, cui operam dedit: & à venatoribus Dux factus, cùm nulla generis aut majorum commendatione clarus esset, universum Hispaniæ exercitum magnâ cum laude contra Romanos integrô decenniô duxit. *Olaus lib.* 18. *cap.* 42. *Region. Septentr.*

ANNOTATIO V.

De Barnaba Vice-Comite venatore injusto & crudeli.

BArnabas Vicecomes, inexpiabili populi odio in se concitato, infamis avaritiæ nomen immani crudelitate cumulavit. Nam præter perpetua inclementer imperatæ atque exactæ pecuniæ detrimenta illata populis: non etiam absque atrocissimâ lege promulgata, inquiri comprehendíque eos jusserat, qui quinquennio ante contra

vetus edictum apros occidissent, aut ex his vel in alienâ mensâ comedissent, usque adeò inexorabili damnatione, ut supra centum ex miseris agricolis laqueo suspenderentur, reliqui universâ substantiâ multati exilio solùm verterent. Diviserat enim per pagos venationibus oportunos multa millia venaticorum canum gravissimo incolarum sumptu alenda curandæque, cùm vicatim per familias distribuerentur, & præfecti venatorio apparatui multis cum ministris passim regiones circuirent, tremendo superbæ censuræ instituto singulos canes ex indicis volumine inspectantes, ut insolenti judicio quos vellent verberibus pecuniâque punirent, quum pari multâ damnarentur: qui strigosos & graciles tanquam inediâ malignè enervatos, & contra obesos tanquam nimiâ pinguedine inertes factos, aut impexis villis malè curatos produxissent. *Iovius in Barnaba.*

ANNOTATIO VI.

De bello inter Scotos & Pictos occasione venationis exorto.

CRathlinthus Scotorum & Thelargus Pictorum Reges avitum fœdus renovârant. Picti quidam

quidam ad Regẽ Crathlinthum venandi cum eo causâ in Grampium venêre. Venabantur Picti, suo more, cervos hinulósque canibus in retia urgentibus, circa prata, secus fluenta, propè saltus, dedita opera locata. Quæ si quando evaserant, sequuti arborum ramis operti, quò magis feris ignoti forent, lassas, humi procumbentes, missilibus petebant, & catapultis. Aversari Scoti id venandi genus, quod à veteri suo instituto esset alienum. Propterea ablatis plagis, arcu, missilibúsque Scotorum more Picti venatui insistere. Ubi cùm suos canes, Scoticis pulchritudine, velocitate, laboris patientiâ, simul atque audaciâ longè inferiores animadvertissent: quosdam utriusque sexus à Scotis dono accepêre: alios clam secum adduxêre, & inter eos venaticum quendam candore nivali, eximia pernicitate, & audaciâ, forma eleganti, quem Crathlinthus in delicijs habebat. Regiorum canum præfectus, vi conatus auferre, à Pictis venabulò transfossus interijt. Tumultuariâ inde rixâ augescente, cæsi sunt ex Scotis sexaginta viri insigni nobilitate, magnâ cum aggrestium multitudine, ex Pictis amplius centum. hoc initium infelicis belli inter cogna-

tas vicinásque gentes. Junctis non multò post exercitibus concursum. Picti acie superiores duo millia amisere, Scoti tria. Vix tandem Carantij exulis Scoti intercessione pax facta, & socia arma in Britannos versa. *H. Boët. lib.* 6.

ANOTATIO VII.

An constitutio Saltuariorum (der Förstner) *in aliquo loco semper arguat jus venandi eius esse, qui saltuarios constituit?*

RESponsio est negativa, quia saltuarij (die Holtz-Förstner) non venationi sed silvis nemoribúsque eô potissimùm fine præficiuntur, ut curent, ne per excisionem arborum, vel aliò modô silvæ devastentur, non autem ut feras venentur. Sed qui venationi præponuntur, speciali nomine Jäger appellantur. Vice versa qui jus venandi habet, non continuò habet jus saltuarios constituendi, vel silvas cingendi, seu Hagen/ sed ea separata jura sunt. *Klock. volum.* I. *consil.* 29. *n.* 476.

ANNO-

ANNOTATIO. VIII.

De consuetudine alicubi vigente ut feram vulneratam 24. horarum spatiô in alterius territorio sine ullo huius præjudicio, persequi & capere liceat?

IN multis Germaniæ partibus, ut in Thuringia, Misnia, Franconia &c. inter saltuarios & venatores usu & consuetudine receptum est, ut liceat feram bombardâ seu globô ictam fugientem extra proprium domini venantis territorium viginti quatuor horis, imò cursu non intermisso, persequi, & in aliena silva capere; ita tamen ut silvæ huius domino extra hunc persecutionis casum nullum inde generetur præjudicium, multò minùs alteri jus venandi acquiratur. De eadem consuetudiue in alieno territorio per 24. horas feram persequendi, in Gallia quoque recepta testatur *Choppin L.* 1. *de Legibus Andium cap.* 32.

ANNOTATIO IX.

Prohibitio circa pisces & cancros, infra certam corporis magnitudinem, vigore juris Saxonici non capiendos.

HÆc prohibitio sive cautela sequentibus verbis in lingua nostra vernacula proponitur. Es soll niemand Forellen / Aschen / Barben / Hechte / auch andere Fische vnd Krebse vnd dergleichen / so nicht zum wenigisten 9. Zoll / oder anderthalb viertl Eln lang auß dem Wasser nemmen / sondern was darunter gefangen / soll auß dem Fischzeug widerumb in die Wasser vnd Bäche / darinnen sie gefangen / geworffen werden. Chur-Sächsische Fisch-Ordnung. Damit die Wässer nicht gar außgekrebst vnd verwüst werden / soll sich hinfort kein Fischer vnterstehen / die Brut-Krebs mit anheim zu nemmen / es seye dann derselbe mit Kopff vnd Schwantz eines Fingers langs / imgleichen auch weder Fischern noch andern verstattet werden / die Krebs mit den Händen auß den Uffern vnd hollen Löchern zu scharren / vnd sollen von Martini biß auff Ostern keine gefangen / sondern auß dem Fischzeug wider ins Wasser geworffen werden / da aber darwider gehandlet / der Verbrecher ein alt Schock

Straff verfallen seyn / und zum Abtrag desselben gäntzlich angehalten werden. Dicto loco.

CAPUT LIII.

De Jure fluminum navigabilium.

I. HOc Jus pertinere ad Regalia Imperatoris, tradit Arnisæus *Lib. 3. de Jure Majest. cap. 3.* & Grotius *de Jure belli 3. n. 4. L. flumina in princ. de damn. infect.* Videatur etiam Baldus *in L. 2. de rer. divis.* Est autem differentia inter flumen & torrentem, quòd flumen semper fluat, torrens verò hiberno tempore currat, æstate nonnunquam exarescat.

II. Potest quis facere molendinum in parte superiori fluminis, si ex eo nullum sequatur præjudicium molendino, quod in parte inferiori erat antea constructum. *L. Hoc jure. §. ex flumine. ff. de aquâ quotid. & æstivâ.*

III. Et hæc doctrina procedit, etiamsi ille, qui habet molendinum in parte inferiori, alleget hoc tanquam præjudicium, quod propter molendinum novum minuetur numerus euntium

ad

ad ſuum antiquum molendinum; hoc enim intereſſe, quod pendet ex voluntate euntium, non conſideratur à Jure. *Alexand. conſult.* 194. *n.* 1. *lib.* 2.

Annotatio I.

An liceat in fluminibus publicis ædificare?

IN publicis fluminibus non eſt licitum ædificare molendinum, aut aliud ædificium, ne videlicet impediatur uſus publicus navigationis: ſicuti neque in viâ, aut alio loco publico ædificare fas eſt, absque Principis conſenſu, uti conſtat *ex L.* 1. *&* 2. *§. ſi quis à Principe, ff. ne quid in loco publico.* In privatis verò, aut proprijs fluminibus cuilibet permiſſum eſt molendinum conſtruere: cùm quilibet in proprio fundo, etiam cum alterius damno, ædificare poſſit; modò id faciat principaliter, ut ſibi proſit, non ut alteri noceat. *L. fluminum. §. ult. juncta. L. ſeq. ff. de damno infecto.* & explicant Bartolus & Jaſon *in L. quo minus. ff. de fluminibus.*

Sed hæc doctrina ſuas patitur limitationes alibi declarandas.

Anno-

ANNOTATIO II.

Declaratur Ius Grutiæ (das Floß-Recht) *quod est species Iuris fluminum navigabilium.*

I. IUs Grutiæ, Floß oder Flötz-Recht / quod ut species quædam navigationis, ad Regalia refertur, nihil est aliud, quàm jus traducendi rates & ligna. Est autem ratis navigium temerè factum & inconditum per conexionem & compactionem trabium navigij speciem exhibentiū.

II. Utilitas Juris Grutiæ sanè maxima est. Ex eo namque ingens ad ærarium Ptincipis accessio fieri potest. Et è contrario in quibusdam locis non nisi exiguas utilitates ex silvis Princeps percipit, eò quòd Jure Grutiæ careat: vel quòd flumina nulla & urbes eis sint vicina. In istis enim locis, da der Wald nicht verflösset werden kan/ non rarò maximam ligni copiam computrescere ac perire cernimus.

III. Jus Grutiæ proprio Jure competit Regibus, Principibus, ac civitatibus Superiorem non recognoscentibus, vigore summi quo gaudent, imperij. Præterea juxta mores Germaniæ, Principibus ac Statibus Imperij, vi Superioritatis ter-

ritorialis, **Krafft der Landsfürstlichen / sive Lands-Hohen Obrigkeit /** flumina publica, omnéque jus percipiendi ex eis utilitates competunt.

IV. Jus Grutiæ Princeps & Superior tam liberè exercere poteſt in flumine, ut nec illi, qui proprietatem & jus piſcandi in eo habent, hoc impedire poſſint. *Seckendorff part.* 3. **Fürsten-Staat:** Modò illis damnum inde datum ex æquo & bono reſtituatur.

V. Jure alieno ſive conceſſo competit Jus Grutiæ etiam alijs Principe inferioribus. Quotidie enim cernimus Nobiles tam ab Imperatore, quàm ab alijs Principibus ita de fluminibus inveſtiri, **mit Wässern / Flüssen / allen Nutzungen / Ehren und Würden /** quæ verba omnem fluminum uſum Vaſallo concedunt.

V. Regulariter negandum videtur, ſubditos ad operas JusGrutiæ concernentes, **die Floß-Dienste /** præſtandas obligatos eſſe: Cùm omnes operæ ſint odioſæ, eò quòd exactio illarum Juri communi adverſetur. *Klock. vol.* 1. *conſil.* 10. *num.* 739. Quapropter dominus territorij operarum præſtationem ſibi deberi aſſerens, præciſè eas probare tenetur, *Klock. d. conſil. num.* 738. Limitanda

tamen

tamen hæc ſententia videtur, niſi vel longiſſimi temporis præſcriptione, vel conſuetudine aliter introductum ſit. Ita in Saxonia & alibi ſubditi has operas præſtare ſolent.

Jus transvehendi ligna in flumine exercens, cum vicino paciſci ſolet de certo loco ad extrahenda & exponenda ligna idoneo, **Man pflegt mit denen Angräntzenden vmb ein gewiſſen Platz / da das Holtz außgeworffen vnd außgeſetzt wirdet / vmb ein gewiſſes zu handlen.** Nemo enim v.g. agri vel prati ſui uſum alteri gratis concedere cogitur: nec quis citra conſenſum domini loci ſine compenſatione expoſitionem ligni in alieno facere poteſt.

CAPUT LIV.

De Jure viæ publicæ, ſive Regiæ.

I. HOc Jus non ſimpliciter & nudè conſiderandum eſt, ſed prout ſub ſe jus cogendi Magiſtratus provinciæ & territorij cuiusque, ut vias publicas tutas reddant, complectitur. *L. abſit.* 4. *ubi Cujac. C. de privil. Dom. Aug. l.* 13. *in*

 princ.

princ. ff. de offic. præsid. quapropter etiam inter Regalia majora refertur, quamvis simpliciter cōsideratum minoribus annumeretur. Hoc autem ideò Imperator sibi reservavit, ut proficiscentibus ad promovendum commerciorum usum, securitatem præstare possit. *ff. ne quid in loco itin. public.* nam Reipublicæ interest vias publicas salvas fore. *Wesenb. in paratit. ad tit. de his qui deiec. num. 5. de jur. vet.*

II. Nemo tenetur concedere viam per suum fundum, quando in divisione assignata non fuit. *L. via constitui. §. ult. ff. de servitut. rustic. præd.*

III. Interdictum est, ne vis fiat ei, qui viam publicam, itérque publicum aperire, hoc est, ad veterem latitudinem restituere vel reficere cupit; modò via, vel iter non deterioretur. *Pandect. lib. 43. tit. 11. de viâ & itin. public. refic.*

IV. Viâ legatâ simpliciter per fundum, heres habet electionem, quâ parte velit servitutem constituere. *Supplement. consilior. Klockij consil. 70. num. 92.*

V. Quando mandatur alicui, ut suis expensis curet refici viam ante fores suas, in eo casu deducendi sunt sumptus à pretio locationis, si domus

locata

locata sit. Vide Afflictum *in c.* 1. *§. via publica. num.* 26.

Annotatio Unica.

An, quando via publica impetu fluminis, vel ruina est amissa, vicinus proximus in eo casu viam præstare teneatur?

Responsio est affirmativa juxta *L.* 14. *§.* 1. *ff. quemadmodum. servit. amitt.* sed sumptibus publicis. *Arg. L.* 13. *§.* 1. *ff. commun. prædior. L.* 2. *C. quibus ex caus. serv.*

CAPUT LV.

De Jure Regali Portûs.

I. Hujus Juris mentio fit 2. *Feud. tit.* 56. Definitur autem Portus, quòd sit locus conclusus, quò importantur merces, & inde rursus exportantur. *Sixtinus de Regalibus lib.* 2. *c.* 4. Est verò Portus locus munitus ad recipiendas naves, ut hæ unà cum mercibus ibi tutæ sint. Vulgò Portus dicuntur Packhäuser / teste Hermete *cap.* 11. *Juris publici.*

II. Quia Jus Portûs ex ſanctione Superioris oritur, ideo etſi collapſus, & vi fluctuum fortè dirutus fuerit, Portus tamen manet, eiusque privilegia inconcuſſa ſunt, facit *L.* 20. *§. de ſervitut. urban. prædior. juncto cap. cùm ex injunct. extr. de novi oper. nuntiat.*

CAPUT LVI.

De Jure Ripaticorum.

I. HOc Regale dicitur à ripa, quæ flumen continet, & à littore differt, quòd hoc mare ambiat, & uti mare commune ſit: hæc verò ambiat flumen, & in uſu etiam communis, proprietas verò illius privatorum ſit.

II. Quia riparum uſus publicus olim erat, ideo peculiaris etiam conſtitutus fuit, qui riparum Comes dicebatur, *Pancirol. in comment. ad not, occid. Imp. cap.* 8. Unde non eſt mirum, quòd inter Regalia referatur à Friderico II. F. 56. Idque etiam intelligendum de proventibus & commodis, quæ occaſione riparum percipiuntur. *Sixtin. de Regal. lib.* 2. *c.* 5. *n.* 9. *Vult. de feud. cap.* 5. *n.* 7. *verſ.*

verſ. ſi ripatica: quod privato non competit, niſi ex conceſſione Principis.

ANNOTATIO I.

An ad evitandam ſolutionem ripaticorum, poſſit quis licitè flumen de unâ ripâ in aliam tranſire, ut nec ponte, nec navi ad hoc utatur?

MOvet hoc dubium Sixtinus *de Regal. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 16. *& fin.* quod alij affirmant ab illo citati: negant alij *per L. fin. §. dici. de public. L. qui fiſcales. Cod. de navic.* ipſe verò conſuetudinem loci attendendam cenſet.

ANNOTATIO II.

An forenſes etiam, qui agros poſſident in diſtrictu civitatis, ubi ripa munienda, vel pontes ſtruendi, ad hoc collectari poterunt?

AFfirmatur hoc *per L. ſicut ibi viarum. de vac. & exc. mun. L.* 24. *§.* 2. *de mun. & honor. d. l.* 7. *Cod. de SS. Eccleſ.* Fritſch. *de repart. viæ publ. cap.* 14. *n.* 25.

CAPUT

CAPUT LVII.

De Jure indicendi & exigendi vectigalia, tributa, collectas &c.

I. VEctigal aliquando accipitur generatim pro quavis exactione, aliquando strictè & propriè pro pensione, quæ solvitur pro rebus exportatis vel importatis in civitatem vel provinciam.

II. Vectigalis nomine etiam censetur portorium, quod solvitur pro transvectione mercium per pontes vel flumina.

III. Vectigal quoque dicitur, quod à transeuntibus datur pro viarum custodiâ vel reparatione, aliàs Pedagium vel Quidagium appellatur.

IV. Tributum, si strictè & propriè sumatur, definitur pensio, quæ subditis solvenda imponitur juxta cujusque facultates, præsertim prædiales, ad dignitatem Principis, vel communia impendia sustinenda.

V. Indictio collectarum generalium soli Imperatori reservata est, & numeratur inter Regalia Cæsaris; *per text. in L. Placet. C. de excusat. muner.* sæpius etiam in Camera Imperiali Spirensi votando

votando ac decidendo hanc ſententiam eſſe comprobatam, apparet ex ijs, quæ habentur apud Meichsnerum *tom.* 2. *deciſ. Cameral. lib.* 1. *deciſ.* 6. *num.* 129.

VI. Tributum ſive gabella non debetur ex contractu conditionali, conditione pendente. *Barboſ. in Repert. Juris. V. Gabella. n.* 667.

VII. Tributum ſive gabella non ſolvitur pro contractu, qui non habuit effectum, vel qui non fuit perfectus. *Surdus deciſ.* 305. *num.* 25.

CAPUT LVIII.

De Jure ſubditos extraordinariè collectandi.

I. QUando neceſſitates Reipublicæ ordinarijs medijs ſublevari non poſſunt, licebit Principi (præſertim Supremo, qualis eſt Imperator) uſurpare extraordinaria, *verb. grat.* extraordinarias imponere collectas, ſi de ſuo, absque notabili rerum ſuarum diminutione, publico ſubvenire non poſſit. *Molina de Juſt. & Jur. tom.* 3.

II. Ad æris alieni reluitionem, ſi citra Princi-

pis culpâ contractum sit, subditi, etiã extraordinariè à Principe collectari possunt. *Maul. de homag. c. 6. Kratz, in singulari consilio, quomodo Respublica se oneribus liberare possit:* ubi refert, Ducem Bavariæ cum Ordinibus Anno 1544. convenisse, ut quadragies septies centena millia spatiô duodecim annorum persolverent. Ære enim alieno ut liberetur Respublica, omnium interest. Sciant autem Principes, *impetranda* potiùs, quàm *imperanda* esse hæc onera extraordinaria.

CAPUT LIX.

De Jure vicesimam hereditatem exigendi.

POtest Imperator (si necessitas postulet) ad sublevanda Reipublicæ onera, exemplô veterum Romanorum, exigere, quæ per L. Juliam introducta fuit, vicesimam hereditatum, ab heredibus exteris divitibus solvendam, cuius rei vestigia extant. *in L. 2. §. ab hoc. ff. de orig. Jur.* Quam Legem neq; duram, neque iniquam Joh. Sturm. *serm. 3. de Bell. Turcic. à fol.* 147. *ad* 182. opinatur; &

& idcircò in usum Reipublicæ revocandã, quemadmodum nonnullos eam revocare studuisse, mutatis ... inibus, putat Bodin. *lib.* 6. *de Republ. c.* 2. *fol.*

CAPUT LX.

De Jure liberandi à tributis, & à munere publico.

IMperator, isque solus, potest dare in Imperio immunitatem à tributis. Idque constat argumentando ab actu ad potentiam: quia de facto Imperatores pluribus civitatibus remiserunt tributa, *L.* 1. *& fin. ff. de censibus.* Similiter solus Imperator concedit im̃unitatem à munere publico, ut habetur *in L. unica, C. de his, qui à Principe vacationem acceperunt*, *lib.* 10. *& L. immunitates, C. de agricolis & censitis.*

CAPUT LXI

De Jure fodinarum.

PEr fodinas hic non intelliguntur tantùm fodinæ auri & argenti, ſed aliorum etiam metallorum, ut æris, ferri &c Cùm in omnibus metallis eadem ſubſit utilitatis publicæ ratio. *Weſenbecius de feudis, c.* 12. *num.* 5. Porrò hic notandum eſt, quòd non æquè fodinæ ad Regalia ſpectent in privato inventæ, ut in publico, ſed illæ cum aliquo temperamento; ſi enim locus publicus fuerit, ſimpliciter fodinæ eius ſunt de Regalibus. In privato loco privatas fodinas à privatis poſſideri poſſe, conſtat *ex L. magis puto. ff. de rebus eorum, qui ſub.* quod etiam in auri argentique fodinis obtinet, *L. item* 51. *§. ſed ſi lapidicinas. §. inde & §. ſi vir alias. L. æquiſſimum. §. inde de uſufr.* Interim Principi in privato, jus hoc regale competere non eſt dubium, quod in eo conſiſtit, ut à privato canonem metallicum ſeu decimam partem exigat, aut ſi privatus fodere recuſet, ipſe Princeps metalla fodiat. *Sixtinus & alij complures.*

CAPUT

CAPUT LXII.

De Jure conferendi privilegium stapulæ.

I. HOc Jus competere Imperatori, non obscurè colligitur eo eo, quòd cùm Elector Palatinus Rheni Anno 1575. in Urbe Oppenheim jus Stapulæ usurpare cepisset, mandato Cæsareo id ei inhibitum fuerit, prout testatur *Hermes in Fasciculo Juris publici cap.* 11. *num.* 101.

II. Beneficiô & privilegiô Stapulæ gaudet inprimis ad Visurgim Brema, Magdeburgum & Hamburgum ad Albim, Ratisbona, Ingolstadium, & Passavium ad Danubium, Colonia Agrippina, Moguntia & Spira ad Rhenum. Lese man in Speyer *Chronic. lib.* 4. *cap.* 22. *ibi:* daß sie haben die Gerechtigkeit / welche die Schiff den Rheinstrom 2c. ut & Middeburgum in Zeelandia, quoad vinum Hispanicum, & Dordrechtum in Hollandiâ, quoad vinum Rhenanũ jus Stapularum possidet. Cuius juris effectus est vectores cogere, ut per aliquot dies subsistant, & merces in stapulâ, id est, forô ad vendendum ostendant, *Besold. in thesaur. pract. V.* Staffel-Gerechtigkeit.

III. Di-

III. Dividitur ſtapula in univerſalem & particularem. Hæc deſervit pro hâc vel illâ, prior verò pro qualibet re. Sic Paſſavij, Ratisbonæ, Magdeburgi, & Spiræ particularis ſtapula eſt. Paſſavij pro vinis Auſtriacis, Ratisbonæ pro vino, ferro & ſale. Magdeburgi pro frumento. Spiræ pro piſcibus ſale conditis, verſtoſſen Speiß.

CAPUT LXIII.

De Jure Geranij (Krangerechtigkeit) quod Imperator nonnullis Urbibus concedere ſolet.

INter Jura Majeſtatis numerari ſolet Jus Geranij, à privilegio Stapulæ, ſeu Staffel-Gerechtigkeit / longè diverſum; cùm hoc reſpiciat principaliter commercia & utilitatem Emporij ſeu oppidi, cui jus Stapulæ conceditur; At verò per Geranij & emenſurationis onera, aliáſque proviſiones utilitati vectigalium, adverſus fraudes mercatorum providetur, non impeditur tranſitus aut navigatio, ſed utilitati Reipublicæ, & Principis proſpicitur, & ad magis conſervandam juſti-

juſtitiam in commercijs, & ad removendas fraudes hæ proviſiones pertinent. Et expedit multis de cauſis in Provinciâ hanc Geranij ac menſurationis rationem conſtitui. Ita Elbert. Leoninus *conſ.7.n.*10. Vide eundem *conſ.* 8.

CAPUT LXIV.

De Jure Hoſtenditiarum ſeu Fodri.

I. HOc Jus varij variè intelligunt. Quidam cenſent eſſe extraordinariam collationem ad expeditionem Imperatoris, quæ *in c. un.* 2.*F.*56. inter Regalia numeratur. Ab alijs appellantur Hoſtenditiæ Raißgeld / Heers-Lohn / quæ nihil aliud ſunt, quàm mercedes & ſtipendia, pro alimoniâ exercitûs, ad compenſandum redimendúmque laborem in militiâ obeundum præſtari ſolita. Defenſionem enim fidei & patriæ contra hoſtes adeò relevantes Carolo M. imponendi vectigalia cauſæ viſæ ſunt, ut in capita eorum, qui ipſi bellum detrectarent, vel ob morbum, aliámve cauſam bello inutiles eſſent, quinquidenarios, & modium frumenti conſtitueret.

II. Ab

II. Ab alijs denique hoc Regale appellatur Fodrum, de quo mentio fit *in Const. de pace tenend. §. nobis autem. & in Const. Conradi II. de benef. §. fodrum,* quod dictum à germanico Futer/ id est pabulum, ut & de pabulo, quod ad expeditionem exercitûs confertur, meminit, *L. si pendentes. §. si quid de usufr.* Annonæ autem collationem in pecuniariam quandóque collationem conversam legimus.

CAPUT LXV.

De Jure Armandiarum.

INter Regalia Imperatoris habent etiam locum Armandiæ, per quas intelliguntur vel domus publicæ, in quibus arma asservantur, vel jus fabricandi arma, juxta Peregrin. *de jure fisci, lib.* 1. *tit.* 1. *n.* 14. pro quibus destinatur armamentarium publicum ad armandos milites & cives tempore belli. *facit Nov.* 85. *de armis. L. pen. Cod. de fabric. armis. lib.* 11. *L. Cod. ut armor. usus lib.* 11. *Nov.* 17. *de mand. Princip. §. fin.* Eique affine est Jus muniendi civitates, fortalitia erigendi, & custo-

diendi *Clapmar. de arc. rerum public. lib.* 1. *cap.* 21. *in verb. Jura muniendi.* Idem dic de jure habendi delectum militum, *L. Lex* 12. *tab. §. eadem ad L. Jul. Majest.* Quò etiam pertinet sequela, quâ subditi bellum gerentem Principem sequi tenentur. *Sixtin. de Regal. lib.* 2. *cap.* 1. *Arnis. de Iur. Majest. lib.* 2. *c.* 4. *de potest. arm. pag.* 334.

CAPUT LXVI.

De Jure quo Imperator inducias Mercatoribus concedere solet.

IMperator potest concedere inducias moratorias, quas Germani Anstands-Brieff/oder Quinquennal, Galli *Lettres de respit.* appellare solent. Hæ verò literæ non nisi ob gravẽ causam conceduntur, & cùm Mercator ex infortunio ita facultatibus lapsus est, ut fidem Mercatoris servare non possit. *L. quoties. C. de prec. Imp. off. Refor. Polit. August. de anno* 1548. *tit.* von verdorbnen Kauffleuthen. Æquum est autem, ut dicamus, huiusmodi dilationem etiam fidejussoribus patrocinari. *Argum. L. Et magis,* 4. *ff. de solut. L. si fidejussó-*

Ii *res*

*res,§.in princ.ff. de legat.*1. At contra mercenarios, qui labore quotidiano se alunt, induciæ moratoriæ denegari solent ; Quia huiusmodi personæ Jure divino privilegiatæ sunt, Deuteronom. 24.v. 14. *Non negabis mercedem indigentis.* Unde merces operariorum defraudata dicitur esse peccatũ in cælum clamans.

CAPUT LXVII.

De Jure Moratoriorum sive de literis Moratorijs (vulgò Gonts - Brieff) Principibus Imperij ratione feudi concedi solitis.

LIteræ moratoriæ, quæ Principi Imperij ab Imperatore concedi solent, quando is propter justum ac legitimum impedimentum tempore legali feudi recognitionem petere nequit, quo ei feudum Urlaubs-Weise possidere liceat, donec impedimentum cesset, dicuntur Gonts-Brieff/ vel Gunst-Brieff/ prout quotidiana praxis imperij hoc comprobat. *Rosenthal. de feud. c. 6. concl. 57. n. 5.*

CAPUT

CAPUT LXVIII.

De Jure Antichriſeos, *vulgò* Pfandſchafft.

PRo declaratione huius Juris diſceptatur inter Theologos & Iuriſperitos, an contractus Antichriſeos (germanicè ein Pfandſchafft) qui à nonnullis Principibus celebrari ſolet, ſit uſurarius? videlicet ut creditor fructus ex pignore lucretur, donec debitum ipſi reſtitutum ſit? Reſponſio eſt affirmativa, cùm *Cajet.* 22. *q* 78. *a.* 2. *Soto lib.* 6. & alijs Theologis, contra Alciatum & alios apud Mynſing. *Cent.* 6. *obſerv.* 71. *&* *Andr. Gaill. lib.* 2. *obſerv.* 3. Sumitur ex *cap. conqueſtus, de uſuris*, ubi dicitur, fructus rei oppigneratæ computandos eſſe in ſortem, deductis expenſis. Ratio eſt, quia alioquin creditor ultra pecuniam, quam credidit, aliquid lucrabitur cauſâ ſolius mutui, quæ uſura eſt.

Ceterùm pro ſententia oppoſita deſervire poterit doctrina quorundam Theologorum (inter quos eſt Molina, Binsfeldius, Leſſius, Layman) docentium poſſe intervenire juſtos titulos lucran-

di fructus ex pignore sine diminutione sortis: ut si v. g. fructus ex hypotheca percepti non superent quantitatem pensionis, quæ Jure census super hypotheca secundùm morem patriæ constituti exigi potest, servatis conditionibus ad licitum censum requisitis. Exemplum huius doctrinæ est, si Imperator v. g. vel alius Princeps indigeat 10000. aureis, quos Nobilis pecuniosus gratis mutuare non vult, ut evitetur usura, oppignerari ei potest oppidum, adjecto contractu censuali, per quem ex oppidi reditibus 500. aureos quotannis percipiat, donec sors restituatur. Posset etiam intervenire titulus lucri cessantis & damni emergentis, dum debitum differtur. Unde non facilè damnandi illi, qui à Principibus in locum debitorum agros, pascua, officia &c. in antichresin habent.

CAPUT LXIX.

De Jure prohibendi exportationem frumenti &c.

POtest Imperator facere Statutum, ne frumentum aliæve res ex territorio Imperij Romani

mani ad exteros evehantur, *L.* 1. §. *cura carnis. ff. de offic. Præf. Urb. tot. tit. C. quæ res export. non poss. l.* 2. *&* 4. *C. de commerc. text.* in Policey-Ordnung de Anno 1577. *rubr.* 22. si eius sententia sit avertere annonæ, fructuúmque caritatem, & providere, ne subditi indigeant: Proinde hujusmodi ordinationes & statuta Principis vel Civitatis, ne victualia extra fines sui territorij extrahantur, sub pœnâ ad forenses terras, favore publico subsistunt.

CAPUT LXX.

De Jure hospitij in transitu, & salvi conductûs.

IMperatori in transitu hospitij & humanitatis officia omnia debentur. Unde in peragrandis quibuslibet regionibus Imperij, non tenetur rogare salvum conductum à particularibus Territoriorum Dominis, utpote quem jam ante omni exceptione tutiorem jure summo habet & ubiq; secum trahit. Unde vulgò dicitur, der Kayser bringt das Glait mit sich. Quamobrem Ludo-

vicus Marchio Badensis apud Historicos rebellis audit, quòd Carolo IV. Cæsari transitum per suas provincias in Italiam, comparatis ad hoc obsessoribus viarum, impedire tentâsset. *Dubrau. lib.* 22. *Histor. Boëm. pag.* 208. Et Cæsareæ Majestatis decori parùm convenisse existimatur, quòd idem Carolus IV. aliquando à Duce Bavariæ salvum conductum requisiverit.

CAPUT LXXI.

De Jure Imperatoris in loca deserta, & inculta.

LOca deserta & inculta, si ab aliquâ universitate occupata non sint, instar vacantium ad Principem vel Dominum territorij pertinere, non obscurè docuit Alvar. Valasc. *tract. de Iur. Emphyt. q.* 8. *n.* 28. *Mascard. de probat. concl.* 1189. *n.* 54. Tiber. Decian. *cons.* 123. *n.* 52. *vol.* 3. Marc. Anton. Peregrin. *cons.* 16. *n.* 3. *lib.* 1. Carol. Tapia. *in L. fin. ff. de Const. Princip.* §. 1. & 2. *n.*13. Matth. Stephan. *l.* 2. *de Iurisd. p.* 1. *c.* 7. *n.* 447.

ANNO-

ANNOTATIO UNICA.

Doctrina utilis & observatu digna de hac materia.

DIe vnfruchtbare wüstligende Hayden / welche gar keinen Nutzen am Holtz noch anders tragen/vnd nicht gebauet werden/ auch in keiner Stadt oder Dorffs-Marcken eingeschlossen / vnd also von niemanden besessen seynd/werdē dem Herrn deß Landes zugeeignet. Oetting. de jure & contr. lim. l. 1. c. 10. num. 15. Vnd ob schon dergleichen wilde Heyden in einer Statt oder Dorff-Zwing vnd Bann begriffen / vnd die Innwohner den Viehtrieb darauff hergebracht: so hat doch der Lands-Fürst oder Herr / als hohe Obrigkeit des Orths / seinen Zuspruch vnd Gerechtigkeit daran vorbehalten / daß man ohne sein Vorwissen selbige zu Baufeldern zu richten nicht befugt / vnd wann man die Bewilligung von ihm erlangt / so hat er macht / nicht allein den Zehenden/als von einem Neubruch einzuziehen/ sondern auch von Obrigkeit wegen einen jährlichen Boden-Zins darein zulegen / welchen die Innhaber zu angehenden Nutzen dem Cammer-Guet reichen müssen / vnd hierzu seynd vor Alters von Römern sonderbahre Feldsteußler bestellet gewesen / welche dergleichen vngebaueten Hayden mit Fleiß nachgeforschet/vnd wo sie dieselben in Erfahrung gebracht/ dem Käyserl. Cammer-Gut zugeeignet.

CAPUT LXXII.

De Jure immunitatis, vigore cuius Fiſcus Cæſareus non tenetur in cauſis fiſcalibus præſtare juramentum calumniæ.

I. TAmetſi ſingulariter receptum ſit, Fiſcum tantùm privilegiatum eſſe in caſibus expreſſis in Jure: in non expreſſis autem Juris communis diſpoſitionem locum habere, *per text. in L. fin. C. de uſur. fiſcali. lib.* 10. Jam verò etiam conſtet, juramentum calumniæ nominatim Fiſco à Lege remiſſum non eſſe (hæc enim remiſſio nuſquam reperitur) & per conſequens includi ſub regula, quòd Fiſcus Cæſareus in caſibus omiſſis jure privatorum uti, adeóque Procurator Fiſci juramentum calumniæ ab altera parte litigante exactum præſtare teneatur.

II. His tamen non obſtantibus Camera Imperialis Spirenſis (quæ eſt Conſiſtorium Summi Principis, nimirum Imperatoris, habens cum eo ex contractu publico, & conventioneStatuum Imperij concurrentem jurisdictionem, adeóque ipſum

ipſum Cæſarem, quoad juſtitiæ adminiſtrationem in cauſis civilibus repræſentat, vocatúrque judicium Cæſaris, das Käyſerl. Cammer-Gericht / *Gail. practicar. obſervat. Lib.* 1. *obſer.* 29.) alio ſtylo procedit, quia in cauſis fiſcalibus non cogit Fiſcum præſtare juramentum calumniæ à parte adverſa exactum, ſed eo omiſſo ad ulteriora procedit. Quapropter Cæſarei Fiſci Procurator talibus juramentis, ob Majeſtatem Mandantis gravari non debet: Cùm qualitas perſonæ præſumptionem calumniæ excludat, *Alexand. in L. properandum*, §. *ſin autem alterutra. n.* 14. *C. de judic. Deci. conſ.* 175. *n.* 51. Et licet quoad punctum Juris verius ſit Fiſcum juramentum calumniæ præſtare debere, hoc tamen conſuetudine non obſervari, citati Doctores atteſtantur.

CAPUT LXXIII.

De Jure, quod Imperator habet in Judæos.

IUdæi ſinguli, tam mares quàm feminæ, tam minores, quam adulti, indiſtinctè, Impera-

tori noviter electo unum aureum (qui Kronsteur appellatur) & annuatim insuper alterum aureum in Festo Incarnationis Domini (qui Opffer-pfenning vocatur) donativi loco offerre tenentur. De quo videatur Guiliel. Roding. *in Pandect. Cameralibus Lib.* 4. *tit.* 17. *vers.* 3. Limnæus *in addit.* 2. *&c.* Comes ab Hohenloe *in dissert. Juridica Anno* 1673. *Argentorati de Precibus Primarijs Imperatoris solenniter habita quæst.* 2. §. 10.

CAPUT LXXIV.

De Jure quod habet Fiscus Cæsaris ad arrestanda bona Statuum Imperij, ob tardatas solutiones collectarum.

MOvetur ab Authoribus dubium de Statibus Imperij, qui sunt morosi in persolvendis collectis Imperialibus, an videlicet bona illorum propter retardatas eiusmodi solutiones per Fiscum Cæsaris arrestari possint? Certum quidem est Ordines & Status Imperij, statim postquam in solutionem collectarum consenserunt, redactos esse in numerum debitorū fiscalium, ac proinde

proinde etiam statim ad solutionem præceptivè compelli posse: & ita in Imperio servari, uti testatur *Gail. lib.* 1. *observat.* 20. Certum est etiam, licet spectando præcisè Juris communis dispositionem, bona Statuum Imperij ob retardatas collectarum solutiones per Fiscum Cæsaris arrestari possint, per textum *in L. penult. Cod. de conveniend. Fisci debitoribus Lib.* 10: & per ea quæ annotavit Gailius loco supra citato; quia tamen Constitutionibus Imperij certus procedendi & exigendi modus contra morosos in hoc puncto præscriptus est, videlicet ad pœnam dupli vel Banni; illum observandum, neque alijs odiosis processibus intricandum esse. Vide Gailium *in Tractatu de Arrestis Imperij cap. undeci.*

CAPUT LXXV.

De Iure taciti pignoris, quod habet Fiscus Cæsaris in bona subditorum.

BOna subditorum pro muneribus in comuni necessitate subeundis Fisco taciti pignoris nexu esse obstricta, resolvunt ex *L.* 1. *C. si propt.*

publ. pensit. vendit. fuer. celebr. Surdus *consil.* 146. Molina *de tribut. disp.* 675. Cardinal. Mantica *de tacit. & ambig. convent. lib.* 9. *tit.* 8. *num.* 15. Gail. 1. *observ.* 52. *num* 21. Qui Authores etiam testantur, in d. lege expresse statui, quòd causa tributorum omnibus creditoribus, Jura hypothecæ seu pignoris prætendentibus, præferatur.

CAPUT LXXVI.

De Iure Fisci Cæsarei habentis ubique fundatam intentionem

I. Quod attinet ad probationes Fisci Cæsarei, sciendum est, eum habere intentionem ubique fundatam. Ita Cacheran. *consil.* 13. Cephal. *Consil.* 369. *num.* 69. Peregrinus *de Iure fisci lib.* 1. *tit.* 2. *num.* 41. *& sequent.* Gail. *lib.* 1. *observation. practicarum, observat.* 21. *num.* 4. Ubi adducit Textum singularem, *in cap. cùm persona, de privileg. in* 6. *& in cap. cum dilectus, de Religios. domib. & in L.* 1. *ff. de albo scribend.*

II. Ad colorandam enim quasi possessionem Imperij Romani, sufficit aliquem Matriculæ in-

scriptum

ſcriptum eſſe. Et in hoc fundat ſe Fiſcus Cæſareus contra eos, qui exemptionem ab oneribus Imperio præſtandis prætendunt. Etenim Matricula Romani Imperij communi Imperatoris & Ordinum conſenſu interveniente confecta, atque in ſolemnem & authenticam Scripturam authoritate publica redacta eſt, quæ exinde paratam executionem meretur, *L. inter chartulas, fin. C. de conven. Fiſc. debit.* paritque intentionem fundatam pro immatriculato: ita ut ſi quiſpiam in matricula deſcriptus, & ſubſidia omnis generis Romano Imperio ſolviſſe deprehendatur, etiamſi nihil aliud adminiculi habeat, pro eo tamen & in poſſeſſorio & in petitorio pronuntiandum ſit. Videatur *Schurff. conſil.* 90. *num.* 9. & *Meichsner lib.* 3. *deciſ. Cameral.* 3. *num.* 11. & *ſeq.*

ANNOTATIO I.

An Regiſtris Fiſcalis Cæſarei fides adhibenda ſit?

ANno 1550. 7. Octobris Senatusconſultum in favorem Intereſſe Cæſarei ex Camerâ Spirenſi prodijt, quòd Regiſtris Fiſcalis Cæſarei fides adhiberi debeat. Et hoc ipſum etiam expreſsè cautum eſt in Conſtitut. Imp. de Anno 1548. §. Wiewol auch in der Ringerung.

ANNOTATIO II.

An Status Imperij bona eorum, qui criminis Læsæ Majestatis rei sunt, Fisco proprio applicare possint?

Respondet affirmativè Reink. *de Reg. secul. lib.* 1. *class.* 5. *cap.* 7. ubi testatur Electorale Collegium Anno 1630. Ratisbonæ in duplica ita censuisse. Idem asserendum est de bonis eorum, qui conscientiâ commissi criminis violentas manus sibi ipsis intulerunt. *Const. crim. art.* 134. Peregrin. *de jure Fisci, lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 9. Item de bonis eorum, qui incestum commiserunt. *Rosenthal. c.* 5. *concl.* 58. Ac denique de bonis spuriorum, aut ex damnato coitu natorum. *Myns.* 13. *obs.* 91. Sed quid si bona confiscati in diversis locis sita sint?

Respondeo, sententiam eorum praxi convenientiorem esse, quæ dicit indistinctè bona cuiuslibet loci Fisco cedere. *Besold. con.* 95. *vol.* 3. *qu. ult.* In alijs tamen delictis capitalibus, quorum jura mentionem non faciunt, confiscatio non est licita. *Const. Crim. Cæsar.* 5. *art.* 218. Aliter se res habet in Galliâ, Italia & Angliâ, ubi bona capitali

tali pœnâ damnati indiſtinctè Fiſco cedunt: juxta illud Gallorum: *Qui confisque le corps, confisque les biens.* Videatur Arniſæus *de Jure Majeſt. lib.* 3. *c.* 6. *num.* 16.

CAPUT LXXVII.

De Jure theſauri inventi.

I. THeſaurus à Friderico Imperatore inter Regalia numeratur, ac proinde eſt Reſervatum Cæſareum. Theſaurus autem ſic definitur: Eſt vetus pecuniæ depoſitio, cuius dominus non exſtat, *L.* 31. §. *de acquir. domin.* hominum ſcilicet ſententiâ & opinione. Sive eſt donum Dei & fortunæ, quo condita ab ignotis dominis tempore vetuſtiori mobilia nobis obveniunt, *L. un. ne ulterius, Cod. de Theſaur.* Ut proinde non poſſit dici verus theſaurus, ſi domini, ad quem ſpectat, notitia habeatur.

II. Si quis theſaurum, hoc eſt, opes abditas, ab ignotis dominis vetuſtiore tempore reconditas, in fundo vel loco ſuo, in quo aut plenum aut utile dominium habet, invenerit, eas ſibi ſine a-

lia

lia impetratione acquirit, sive casu fortuito, sivè datâ ad hoc operâ invenerit: dummodo sine arte prohibita invenerit; nam aliàs ærario huiusmodi thesaurus acquiritur; quia nemo ex suo delicto lucrum reportare debet. *Manz. Comment. Inst.*

III. Thesaurus in loco sacro aut religioso casu fortuito inventus ex constitutione Hadriani & Justiniani Imperatorum, inventori acquiritur; quia locus sacer vel religiosus nullius est: & quæ in sacris casu fortuito inveniuntur, quasi divinitus oblata videntur; quamvis anteriores & posteriores Principes dividi jusserint inter Fiscum & Inventorem; quia cura & defensio locorum istorum ad Principem spectat. Quidam Doctores volunt hodie dimidiam partem Prælato vel Ecclesiæ, dimidiam alteram inventori tribuendam esse; eò quòd loca sacra & religiosa dicantur quodammodo esse in dominio superioris Ecclesiæ. *Idem qui supra.*

IV. Si quis in alieno loco, in quo nullum habet dominium, thesaurum invenerit, in hoc casu Hadrianus Imperator dimidium domino soli concessit, & dimidium Inventori, propter perplexitatem & rationes pro utroque militantes; dum-

dummodo fortuitò & non datâ operâ thesaurum invenerit; quia naturalis ratio non patitur, ut aliquid præmeditato consilio concupiscas ex alieno; dummodo item nòn occultaverit; aliàs totus domino loci cedit, in pœnam mendacij & dolosæ occultationis. Cæterùm pro Inventore faciunt hæc axiomata. 1. Quod nullius est, id occupanti conceditur. 2. Quod prosperâ fortunâ alicui accedit, non debet in alium proveniens, ei luctuosum accidere. Pro domino soli serviunt hæ considerationes. 1. Quod ex meo est, vel prodit, meum est. 2. Inventor operam præstat, dominus rem, & causam sine qua non. *Idem.*

V. Si quis casu inventum thesaurum detinuerit, vel studio perscrutatus fuerit, sive domino volente, sive ignorante, sive prohibente, sive ex Principis permissu: in his casibus totum domino restituere debet. Ratio primi est, quia tunc velut fur & occulator nihil percipit, juxta dicta. Ratio secundi est, ut coërceatur cupiditas alieno inhiantium. Ratio tertij est, quia tunc procurator ejus est, vel locator operarum. Ratio quarti est, quia tunc injuriam ei facit, ex qua non debet præmium reportare. Ratio

tio quinti est, quia Princeps nemini jus suum auferre potest. Quòd si magicis artibus effodisset, dandum esse dimidium Fisco, & alterum dimidium domino, cui non est auferendum beneficium fortunæ ob delictum Inventoris. *Manzius cit.*

CAPUT LXXVIII.

De varijs Juribus Cæsareis, compendiosè enumeratis.

INprimis habet Imperator Jus tutorem ante finitam tutelam absolvendi ab ea, *L. Idem*, §. *sunt, ff. de excus. tutor.*

Secundò habet jus liberandi filium à patria potestate, invito patre, *L. fin. C. de Consulibus, Lib.* 12.

Tertiò habet jus cognoscendi de causa præscriptione temporis non obstante, *L.* 2. §. *fi. ff. si libertus ingenuus esse dicatur.*

Quartò habet jus cognoscendi de innocentia alicujus post latam in eum sententiam, etiam sine appellatione, vel in integrum restitutione, *L.* 1. *in fin. ff. de quæstionibus.*

Quin-

Quintò habet jus ferendi sententiam suam sine scriptura. Ita sentit Alber. de Rosa *in Auth. nisi breviores, C. de sententijs & interl. omnium Judicum.*

Sextò habet jus causam, quæ non invenitur Legibus definita, definiendi prout ipsi videtur, *L. cùm de novo, C. de Legib. L. itaq;, ff. de fideicom. libertatibus.*

Septimò habet jus obligationem pignorum, quæ nulla est, per rescriptum suum roborandi. *L. 2. in fi. ff. de rebus eorum qui sub tutela, &c.*

Octavò habet jus id, quod aliàs de jure non tenet, re integra non existente, confirmandi, *c. quia Joannes, 12. quæst. 5.*

Nonò habet jus tollendi potestatem domini, quam habet in servum, quæ est de jure Gentium, *L pen. & fin C. qui militare possunt vel non, lib. 12.*

Decimò habet jus efficiendi, ut homo liber per adoptionem transeat in alterius potestatem, *L. 2. §. ult. ff. de adoption.* Idque Cæsar facit per rescriptum suum.

Undecimò habet jus contrahendi compaternitatem per Procuratorem, ut dicit *Baldus in L. unica, §. ne autem.*

Duodecimò habet jus interponendi decretum super emancipatione infantis, *L. Jubemus, C. de Emancipatione liberorum.*

Decimò tertiò habet jus faciendi statuta super lite pendente. *In Authent. ut cùm de appellatione cognoscitur, &c.*

Decimò quartò habet jus per suam potentiam supplendi omnem defectum solennitatis, *text. est in L. omnium, in princ.*

Decimò quintò habet jus rescindendi contractum, in magnum damnum sui Principatûs celebratum. *Baldus in Cap. Intellecto, extra de jurejur.*

Decimò sextò habet jus epistolis proprijs singularem quandam energiam, authoritatémque conciliandi, adeo ut epistola per Imperatorem, sive supremum Principem missa, vim Legis habeat in omnibus causis, *text. & ibi Angelus in Leg. Item veniunt, §. penult. ff. de petit. hæredit.* Quod dictum Angeli declaratur per notata *in L. 2. C. de Legibus, & in L. Nemo, C. de sent. & interlo. omn. Judicum. Martinus Laudens. in d. tract. art.* 58.

Decimò septimò habet jus exercendi officium

um Subdiaconi miniſtrando Epiſcopo, etiamſi Ordinem Subdiaconatûs non habeat, *gloſſ. ult. in Cap. Valentinianus* 63. *diſt.*

Decimò octavò habet jus per ſolam ſuam proteſtationem interrumpendi præſcriptionem, abſque citatione partis, licet aliàs hæc citatio ad dictam interruptionem requiratur, ut habetur *in L. cùm notiſſimi in princ. & ibi gloſſ. in Verbo ſaltem, C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *annorum.* Cæterum ſupremo Principi memoratum jus competere, notatur per Canoniſtas *in Cap. Nihil prodeſt, extra de præſcription.*

Decimò nonò habet jus immunitatis ab obſervatione feriarum: his enim non obſtantibus, poteſt quolibet tempore jus reddere, ſive exercere judicialia. De quo videatur Martinus Laudenſis *in Tract. de Principibus artic.* 44. Videatur etiam Chaſſanæus *in Catal. Gloriæ Mundi Parte* 5. *num.* 120. ubi diverſa Jura huc ſpectantia citantur.

Vigeſimò habet jus prælationis in emptione metallorum, juxta *L.* 1. *C. de metallis. Chaſſan. cit. n.* 121.

Vigeſimò primò habet jus reſcindendi ſententiam, quæ tranſivit in rem judicatam, uti do-

cet Panorm. *in Cap. qualiter & quando. Col. 2. extra de accus.* dummodo dicat: *Non obstante tali sententia*, ut loquitur Gloss. unica in *L. fin. C. sententiam rescindi non posse.* Addit Angelus in *L. 1. C. de sententiam passis*, quòd Princeps supremus unico verbo sententias inferiorum cassare possit.

Vigesimò secundò habet jus transferendi dominium sine traditione, quia non subjicitur Legibus exigentibus traditionem, ut ait Angelus in *L. Officium, ff. de rei vend. Alexand. consil. 3. in Cap. ex his, Col. pen. Jason. in L. traditionibus, C. de pactis. Purpuratus in L. Imperium, num. 84. ff. de juri. omnium Judicum.*

Vigesimò tertiò habet jus permutandi dominium directum Vasalli cum dominio utili, accipiendo dominium utile Vasalli, & dando illi directum. Ita Baldus in *c. 1. §. cùm autem, super verbo Cambium, de controversia investiturae, &c.*

Vigesimò quartò habet jus omnem dilationẽ abbreviandi, etiam sine causa. *Imola in Cap. ex ore sedentis, extra de his quae fiunt à major. part. Capit.*

Vigesimò quintò habet jus creandi in Imperio novam dignitatem. Ita docet Andreas de Isernia in *c. 1. §. Si quis de manso, pen. Col. in d. titul.*

tul. de controversia investituræ. Lucas de Penna in L. contra, C. de re milit. in 7. Privileg.

Vigesimò sextò habet jus faciendi de cive forensem propter ejus delictum, ut dicit Baldus *in L. Si quis filium, C. de liberis præteritis.*

Vigesimò septimò habet jus filijs suis validè donandi, etiamsi nondum sint emancipati, sed adhuc in potestate patria constituti. Licet enim regulariter loquendo donatio facta per patrem filio in potestate existenti non sit valida, juxta *L.* 1. *&* 2. *C. de inoffic. don.* fallit hoc tamen in Rege seu Principe donante filio in potestate, quia talis donatio valida est, dummodo donans exprimat se velle donare authoritate Regia. Ita Baldus in *c.* 1. §. *Item sacramenta.* Curtius *Consil.* 65. *colum.* 2. ubi amplè de hac materia discurrit. Porrò hic notandum est, quòd Principe donante res aliquas filiofamilias, pater non habet usumfructum in illis, per text. in *L. cùm multa, C. de bonis, quæ liberis, &c.*

Vigesimò octavò habet jus deportatum, aut in metallum damnatum, per Legem suam privandi Jure Civili ipsi aliàs competenti, ut scilicet non succedat liberis, parentibus & libertis, *L.* 1. *in fin.*

in fin. ff. de bonor. poss. contra tabulas, L. sive. in princ. ff. de Jur. patronatus. L. 2. §. Si deportatus, ff. de bonis libe. L. ad successionem, ff. de interdictis & relegatis.

Vigesimò nonò habet jus de plenitudine potestatis (cui contradici non potest) tollendi citationem, secundùm Hostiensem & Joann. Andream *in Cap. In nostra.* Quibus adde Baldum in *L. si. verb. apponitur, C. de fructibus & litium expens.* Imò absque clausula *de plenitudine potestatis*, aliquâ causâ subsistente, potest Imperator tollere citationem, *Gloss. in L. antepen. quæ incipit. Is qui Reipubl. ff. ex quibus cau. majores. Curtius consil.* 49.

Trigesimò habet jus rebus difficilibus finem imponendi, *in authent. de Instrumentorum cautela & fide:* & efficiendi, ut factum pro non facto habeatur, *cap. Is qui fide, extra de sponsalib. & matrimonio:* & scitum pro non scito, *Clement.* 1. *de concessione præben.*

Trigesimò primò habet jus illud Regis, quod *lib.* 1. *Regum cap.* 8. his verbis describitur: Hoc erit jus Regis, qui imperaturus est vobis: Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, faciétque sibi

ſibi equites & præcurſores quadrigarum ſuarum, & conſtituet ſibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum, & fabros armorum & curruum ſuorum. Filias quoq; veſtras faciet ſibi unguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoque veſtros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis. Sed & ſegetes veſtras, & vinearum reditus addecimabit, ut det eunuchis & famulis ſuis. Servos etiam veſtros, & ancillas, & juvenes optimos, & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo. Greges quoque veſtros addecimabit, vóſque eritis ei ſervi. Hactenus Sacer Textus.

Cæterùm hoc jus Regis (ut benè obſervat Nicolaus de Lyra) competit ſupremo Principi tempore neceſſitatis jure divino. Quod etiam docet Lucas de Penna in *L. 2. C. de quibus muneribus vel præſtationibus nemini ſe liceat excuſare.*

Trigeſimò ſecundò habet jus largiendi ſuperioritatem territorialem, ſibíque reſervandi ſupremitatem, quod reſervatum vocari ſolet, ein überſchwebende Hoheit: de quo reſervato Principes, quà Domini territoriales nihil participant, ſed reſidet illud penes Imperium ac Imperato-

rem, qui primus ac summus est Princeps, id est, Rex Regum, & Princeps Principum. *Carpzov. de privileg. Elect. & Duc. Saxon. de non appellando.*

Trigesimò tertiò habet jus centum annis defendendi & conservandi jura sua Regalia reservata contra præscriptionem. *Gail. part.* 1, *consil.* 1. *num.* 28.

Trigesimò quartò habet jus de inhabili faciendi habilem; *L. quidam consulebat, ff. de re judic.* Et de indigno faciendi dignum, *in authent.* quibus modis naturales efficiuntur sui. §. *discretis.*

Trigesimò quintò habet jus præcepto suo obligare subditos sub pœna peccati mortalis, ut notant Doctores *in Cap. cùm contingat, extra de jurejur. Vide cap.* 1. *de Major. & obedient.*

Trigesimò sextò habet jus remittendi damna facta singularibus personis propter bonum pacis. *Perez. lib.* 8. *p.* 347. *Roland. consil.* 69. *n.* 8.

Trigesimò septimò habet jus ex causa homini privato subdito auferendi dominium propter utilitatem publicam. *L. Lucius, ff. de evict.*

Trigesimò octavo habet jus tempore belli castrum vel fortalitium auferendi Vasallo, ut ibi præsi-

præsidia militum collocet. Roland. à valle *conf.* 69. *vol.* 2. Etiamsi tantùm esset belli suspicio. Surdus *de alim. tit.* 8.

Trigesimò nonò habet jus (utpote Princeps supremus) causam motam coram inferiore ad se advocandi, *cap. ut nostrum.* 56. *de appellat.* ubi Barbos. *n.* 2. *juncto n.* 3. & 4. Et dum causam ad se advocat, ita illi affecta remanet, ut nequeant inferiores de ea cognoscere. *Valasc. consult.* 105. *n.* 62. *tom.* 2. *Cabed. decis.* 85. *n.* 4. *p.* 2. Latè *Gonzal. de mensibus. Gloss.* 52. *n.* 27. & 28.

Quadragesimò habet jus introducendi beneficium revisionis. Quod beneficium ex Jure Canonico & Civili prorsus incognitum, posterioribus ordinationibus Imperij tempore Ferdinandi I. Regis Romanorum, Anno M. D. LV. introductum fuit adversùs sententias Cameræ Imperialis, à quibus cùm appellare non liceat, permissum est ei, qui se gravatum putat, petere acta judicij revideri, id est, recognosci ab alijs, & retractari sententiam, si actis conformis non sit; prout videre est *in part.* 3. *tit.* 53. *Ordin. Camer.* interim executio in suspenso manet, donec revisio peracta sit, ut probat Gail. *lib.* 1. *observ.* 154.

CAPUT LXXIX.

De Juribus gratiosis sive Privilegijs, quibus gaudet modernus Imperator, quatenus est Archidux Austriæ.

I. NUllus in universa Christianitate Princeps tot tantísque gaudet immunitatibus, privilegiijs, eminentijs, ab Imperatoribus & Regibus Romanis concessis, quemadmodum Dux Austriæ. *Cuspinianus in Austria pag.* 32. adeò, ut nonnullis etiam ipsos Imperii vincat Electores. *Sixtin. de Regal. lib.* 1. *cap.* 4. Ex ijs paucula selecta huic capiti inserere libet.

II. Primum Privilegium est, quòd Austriaci Principes non teneantur ullum Regem afficere titulo Majestatis, solo Cæsare excepto. Cùm Maximilianus Rudolphi Imperatoris Frater, à Sigismundo Poloniæ Rege certis conditionibus, sine pretio liber ex captivitate Anno 1589. dimittendus esset; tunc eum Polonus officiosè invisit, ac salutavit. Vicissim Maximilianus pro officiosa humanitate gratias egit, sed titulo Majestatis

cum

eum non compellavit: quod Austriacis jus esse diceret, ut Regum neminem, Cæsare excepto, hoc titulo condecorarent. Itaque utrinque Serenitatis titulo contenti sermonem diu conseruêre. Ita Thuanus *lib. 96. histor. pag.* 310.

III. Secundum privilegium est, quòd Imperium dicto Duci Austriæ contra omnes suos injuriatores debeat auxiliari & succurrere, quoad justitiam assequatur.

IV. Tertium privilegium est, quòd Dux Austriæ sit Consiliarius Imperij intimus & perpetuus.

V. Quartum privilegium est, quòd Archiduces Austriæ gladium atque vexillum tanquam insignia publicè gerendi potestatem habeant.

VI. Quintum est, quòd Archiduces Austriæ non teneantur comparere in Comitijs Imperij.

VII. Sextum est, quòd quæ Archiduces Austriæ in suis provincijs ac territorijs gerunt, aut statuunt, non sint revocationi Cæsareæ subjecta.

VIII. Septimum, quòd à sententijs in Archiducum Austriacorum Curijs latis, nec ad Imperatores, nec ad Cameram Imperialem detur provocatio.

IX. Octavum est, quòd Archiduces Austriæ possint nova erigere vectigalia, atque telonia in suis territorijs, tam acquirendis, quàm acquisitis.

X. Nonum, quòd Archiduces Austriæ possint in districtu suo creare Comites, Barones, Nobiles: Item Doctores Juris Cæsarei, Medicinæ, atque Magistros Artium: Item Notarios publicos.

XI. Decimum, Archiduces Austriæ in omnibus suis provincijs, districtibus & territorijs, quoslibet quomodolibet illegitimè natos possunt legitimare.

XII. Undecimum, Archiduces Austriæ in omnibus suis provincijs, districtibus ac territorijs jus habent infamatos famæ restituendi.

XIII. Duodecimum privilegium, si fortè aliqua alia ab alijs Imperatoribus alicui sint data privilegia, Austriacorum Principum privilegijs contraria, aut præjudicialia, ea irritantur, enervantur, & nullius valoris esse declarantur.

XIV. Decimum tertium est Immunitas à præstandis Imperio servitijs & subsidijs, à Friderico II. Imperatore concessa in Diplomate, quod refert Cuspinianus in Austria *pag.* 32. utitur

tur autem Fridericus his verbis: Donamus primò, quòd Dux Austriæ quibusvis subsidijs & servitijs non teneatur, nec esse debeat obnoxius Sacro Romano Imperio, nec cuiquam alteri, nisi ea de sui arbitrij libertate fecerit: eo excepto duntaxat, quod Imperio servire tenebitur in Hungariam duodecim viris armatis, per mensem unum sub expensis proprijs; in ejus rei evidentiam, ut Princeps Imperij agnoscatur.

XV. Decimum quartum, in universorum Statuum Imperij Conventibus, post S. R. I. Electores Duces Austriæ ex privilegio Friderici I. Barbarossæ de Año 1166. cæteros Principes omnes antecedunt, quia paribus privilegijs cum Electoribus gaudent. *Kranz. in Saxon. lib. 6. c. 8. Chytr. in Chron. Saxon. lib. 12. fol. 353. vers. Elector autem.* ita quidem, ut, prout Electorum Legati suos Principales repræsentando cæteros Principes non Electores, ita similiter Archiducum Legati in Comitijs ipsos adeò Archiepiscopos, (excepto Salisburgensi) quà S. R. I. Principes præcedunt. *Hermes in fasc. Jurisp. c. 23. n. 4.* in quo distinguuntur Archiduces Austriæ ab aliorum Principum (præter dictum Salisburgensem Archiepiscopum, &

Du-

Ducem Burgundiæ) Legatis, qui præsentibus aliis Principibus præcedentiam disputare non possunt, propterea, quia licet Legatus personam sui Principalis repræsentet, & inde in locum ejus succedat, *L. 1. C. de off. Vic. c. præcipimus. dist.* 93. *Ruland. de Commiss. l. 7. c. 2. n.* 11. Nihilominus tamen in hujusmodi Legato Majestas Principis tantùm est adumbrata, in præsenti autem Principe Majestas hujus oculis subjacet; unde meritò absentis Principis Legato præfertur; quod ipsum in Electorali Collegio observatur ex transactione Anno 1560. celebrata. *Bertram. de Comitijs th. 67. n. 5.* convenienter ad Auream Bullam Caroli IV. *c. 28. §. 6.* ubi notatur, quòd licet Legatus Electoris in electione Roman. Regis votum habeat, tamen in imperiali curia mensæ Principibus Electoribus deputatæ assidere nequeat. *Hermannus Hermes d. l. n.* 18.

XVI. Decimum quintum: quamvis de Jure communi cum omni humilitate ac reverentia Feudum per Vasallum à domino directo sit requirendum, *c. 1. §. nulla. per quos fiat investit.* eâque requisitio in Feudis regalibus intra annum & diem sit facienda per sceptrum, vexillum, gladium

dium (quorum Feudorum Regalium nomine sine omni dubio, Regna atque Ducatus, Principatus, &c. comprehenduntur.) Nihilominus Feudistæ à Regula ista excipiunt Serenissimam Domum Austriacam, quæ pinguissima licèt Feuda ab Imperio Romano teneat, tamen ad eam humilem recognitionem non tenetur, quam alij Imperij Status in recognitione Feudorum præstant, ut testantur formalia Privilegij.

Derselbe Ertzhertzog zu Oesterreich / so Ihme / wie obstehet / sein Lehen vom Reich gelihen werden / solle Er die empfahen / beklevdet mit einem Fürstlichen Gewand vnd seinem Hertzog-Hut / vmbfangen mit einem gezimmeten oder gesprengten Krantz / vnd ein Stab in seiner Hand haltend / auff seinem Pferd sitzend / vnd ist mit solcher Gestalt die Leyhung großmächtiglich für andern.

XVII. Decimum sextum est, quòd, licèt Vasallis non sit prohibitum de Jure comuni, quin Feuda, quæ habent, cum certis requisitis & conditionibus tertio subinfeudare valeant, *Ros. de Feud. c. 9. concluſ.* 43. Tamen in Austriæ Ducatu hocce Privilegium est Ducum Austriæ, si Princeps aliquis, vel alterius status persona nobilis vel

ignobilis, (cujuscunque conditionis existat) haberet in Ducatu possessiones ab ipso jure feudali dependentes, has nulli locare vel conferre possit, nisi eas priùs conduxerit à Duce Austriæ (Er habs dann zuvor vom Hertzog von Oesterreich bestanden oder empfangen) sub pœna caducitatis sive feloniæ, à quo tamen excipiuntur Principes Ecclesiastici & Monasteria favore Religionis.

XVIII. Decimum septimum: licet quælibet res in dubio præsumatur libera, ita ut hæc præsumptio onus probandi in adversarium rejiciat, *Schneid. in §. æquè Inst de act. n.* 39. *& seqq.* nihilominus tamen Dux Austriæ speciale privilegium habet, quòd secularia judicia, Banna silvestrium & ferinarum, piscinæ & nemora in Ducatu Austriæ sita, credantur esse bona feudalia à Domo Austriaca dependentia, ex Privilegio Friderici I. Imperatoris, apud Lymnæum *d. l c.* 2. *n.* 30.

XIX. Decimum octavum; licèt de Jure feudali prohibita sit testamentaria dispositio, aut inter vivos alienatio rei feudalis, non requisito consensu Domini directi & Agnatorum, quibus jus est quæsitum, ut ejus invitis tolli nequeat, ***Tit.*** **39.** ***feudor.*** **1.** ***& c.*** **1.** ***de prohib. feud. alien. per Frid. feud.***

feud. 2. Nihilominus tamen speciale est in Austriæ Ducatu, quòd Dux Austriæ donandi & deputandi terras suas cuicunque voluerit, liberam debeat habere facultatem, si, quod absit, sine hæredibus liberis decederet, ita ut in hoc nec per Imperium debeat aliqualiter impediri, ita Friderici I. privilegium: nomine autem liberorum non comprehendo adoptivos, quia in his jus sanguinis non consistit, *L.* 23. *ff. de adopt.* nec illegitimos, quia his in successione feudorum nullus patet additus, nec eorum descendentibus, ob radicem infectam, quam sequuntur omnes, qui ex ea radice descendunt; nemo enim plus juris in alium transferre potest, quàm ipse habet, *L.* 20. *ff. de R. I.* quod ipsum in confirmatorio Caroli V. privilegio repetitur: **Der Hertzog hat freye Macht sein Land zu übergeben vnd zu verschaffen/ wem Er will/ so Er (das GOTT verhüt) ohne Erbkinder abgieng/ vnd soll daran durch das Reich nicht verhindert werden.**

XX. Decimum nonum: de Jure communi ordinatum est, quòd banditi banno Imperiali ob publicum delictum in clientelam aut protectionem ab inferioribus Judicibus suscipi nequeant, ideò,

ideò, quia banditorum receptores eâdem pœnâ, quâ banditi afficiuntur. Landfriden zu Worms de Anno 1521. tit. Fridbrecher und Thäter/ §. welcher Obrigkeit. *Mager de Advocat. armat.* c. 8. *n.* 83. ad differentiam banditorum à Camera Imperiali, vel Dicasterio Rottwilensi, qui ob contumaciam aut minora alia delicta proscriptione notantur. *Ord. Cam. p.* 3. *t.* 43. §. 3. hi enim, cùm contra patriam moliantur, jura gentium non amittunt. *Speid. in Thes. Hist. pract. v.* Bañ: & hoc de Jure communi:

A quo Domus Austriadum specialiter privilegiata est, quia banditos in suis ditionibus & terris suscipere ac manutenere potest, ita tamen, ut si quis contra tales banditos jure experiri, eósque convenire velit, justitiam debito modo administrare debeat, juxta Caroli V. privilegium: Auch sollen die Unterthanen und Diener deß Hauß Oesterreichs Gewalt haben offene Aechter zu halten/ und mit ihnen Gemeinschafft zu haben/ doch daß sie auff Anruffen der Partheyen die zu recht halten.

FINIS.